

DE OFFICIO PRÆFECTI MILITARIS ANNONÆ.

DEL OFICIO DE PROVEEDOR GENERAL DE LAS Reales Armadas del Mar del Sur, y Presidio del Puerto del Callao.

LIBER IN TRES DIVISVS.

DICATVS

EXC.MO DOM. D. IOANNI FRANCISCO PACHECO Mendoza Velasco Aragon Toledo, &c. Duci de Vzeda, Comiti de la Puebla de Montalvan. Olim Proregi Gallæciæ, & Siciliæ, Præsidi Consilij Ordinum Militarium. Equiti etiam Ordinum Regni Galliæ. A summo Monarchiæ Gubernio absente Rege in Neapolim. In præsentiarum Ordinario in Romam Legato. Et Supremi Indiarum Consilij Præsidi, &c.


AVTHORE


D. PAVLO DE SANTIAGO CONCHA EQVITE Calatravæ, olim in Collegio D. Martini Limæ Regia trabea insignito. In vtroque iure Licenciato Laureato. In Regia Limana Audientia Advocato. Nunc Capitaneo Commandante cum gradu Tenentis Vices Coronelli in Bello præsenti Portugalliæ. Qui, denique, est ipse Præfectus Generalis Perpetuus Militaris Annonæ, Classium Regiarum Maris Pacifici, Præsidijque Portus Callai ipse de sua ipsius obligatione, & Argumentum, & Scriptor.

MADRITI. Typis FRANCISCI ANTONIJ A VILLA-DIEGO.
Anno M. DCC. IV.

Omnia mea, & me in omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ submitto.







AL Exc.mo SEÑOR

D. JVAN FRANCISCO PACHECO Mendoza Aragon Toledo y Velaſco, Duque de Vzeda, Conde de la Puebla de Montalvan, Virrey que fue de Galicia, y de Sicilia, Preſidente de Ordenes, de la Junta del Gavinete mientras el Rey eſtuvo en Napoles, y actualmente; del Conſejo de Eſtado, Gentil-Hombre de Camara, Cavallero de los Ordenes de ſu Mageſtad Chriſtianiſsima, Embaxador en Roma, Preſidente de Indias, &c.

AL dedicar à V. Exc. eſte Libro, ha ſido vn acto tan de juſticia, que le reſolviò la razon, aun ſin pedirle ſu parecer al afecto: pues ſiendo el aſſumpto de que trata, la obligacion que tengo, como Proveedor General perpetuo, que ſoy de las Reales Armadas del Mar del Sur, y Pre-

ſidio del Puerto del Callao; obligacion en fin de Miniſtro Indiano: claro eſtà que nos aviamos de poner, Yo, y mi obligacion en mi Libro, à los pies del Preſidente de Indias, como à nueſtro Superior.

Caſi me peſa (Excelentiſsimo Señor) que eſta dedicacion à V. Exc. ſea punto de juſticia, no porque variàra de Mecenas, ſino porque no le variàra; pero me hiziera mejor ſonido en el animo, el que eſta eleccion fueſſe de la fineza, que de la juſticia. Del miſmo modo eligiera por Patron à V. Exc. miſmo, en el caſo de que eſto corrieſſe por cuenta del afecto, ò agradecimiento leal (por dezirlo con terminos de mi debida ſumiſsion) à los muchos favores que debi à V. Exc. todo el tiempo que eſtuve en Roma, quando admirando las maravillas de aquella Corte, contè como vna de ellas (y no la menor) la deſtreza, y capacidad con que V. Exc. maneja aquella Embaxada; la ſupercomprehenſion de negocios tan graves, y en el ſyſtema preſente mas graves que nunca; la penetracion de los intentos mas eſcondidos de Principes, Republicas, y Pueblos, ò enemigos, ò inquietos: importancias en fin de ſuma vtilidad à la Monarquia, ſervicios grandes de Nueſtro Rey, que le eſtàn aſſegurando la Corona.

Mas

Mas debo dezir en quanto al acierto de esta mi eleccion (y manifiesto en ello mi coraçon, y se le doy à V. Exc. muy de buena gana) aun antes de lograr sus favores, sin merecerlos; aun antes de la dicha de conocer sus personales prendas (que bastàran à hazer grandes aun à hombres humildes, y à señores grandes hazerlos mayores) su erudicion, sciencias, prudencia, afabilidad, y otras sin numero, que me arrebataron dulcemente el afecto, tuve vehementes impulsos de lo mismo, de elegir (digo) à V. Exc por Patron mio, y de mi Libro, para que nos dispensasse su sombra. Es verdad, que entonces era por la razon comun de buscar para ello à vno de los primeros señores de España (que à la verdad no quise contentarme con menos) y como està V. Exc. tan entre los primeros, que no sè que à nadie sea segundo, con reverente, y afectuosa porfia, pensava en V.E. mi imaginacion, fundandose en las muchas noticias que tiene de su gran Casa; y heme entrado en vn punto inmenso, de que no pudiendo salir, asi por lo imposible de llegar mi pluma (aunque fuesse Aguila) al Sol de Nobleza tan remontada, como por la precision de el tiempo, y brevedad de esta Obra. Solo dirè, que leyendo yo con mucha atencion la Genealogia Real de V.E. desde mas de tres siglos,

des-

desde el señor Don Martin Vazquez de Acuña, à quien el Señor Rey Don Enrique III. hizo Señor de Castroxeriz, y Conde de Valencia; y haziendo reflexion en las varias lazadas que sus gloriosos Progenitores de V.E. han hecho en sus esclarecidos matrimonios, apenas veo sangre de Principe de España, de quien no halle ardor, resplandor, y latido heroyco en sus venas; Pacheco, Velasco, Mendoza, Aragon, y Toledo, estas con la primera inmediacion.

Cerdas, Girones, Cuevas, Guevaras, Acuñas, y otras en mas distantes grados, y lineas; y no aviendo Casa alguna de estas, que à pocos passos no encuentre Coronas, se vèe, aunque en confuso, el resplandor de la sangre de V.E. y que fuera temerario, inmenso empeño, querer yo entrarà su individuacion; y aunque el afecto que professo à V.E. (si es que su Grandeza permite esta voz à mi pequeñez; y si permitirà, pues discreto sabe, que amor permite; y vne grandes distancias) me quiso facilitar este gran mar, y quizà me arrojàra en las confianças de que al amor se le permite el ser temerario, y de que ay empeños tan gloriosos, que acredita el perderse en ellos, no me es possible entrar à navegarle por la precision de esta Obra: explicola.

Doy cuenta à V.E. como estoy para partir-

tirme de oy à mañana, como se dize, à la guerra de Portugal. Su Magestad se ha servido de hazerme Capitan Comandante, con grado de Teniente Coronel en el Regimiento de 1200. Fusilieros Reales, que se mandò levantar para defensa de la Artilleria, con muy particular, y honorifica ereccion. Y hallandome en esta Corte con mi Compañia, y Oficiales, en toda perfeccion, y promptitud para marchar, no espero mas que el orden, que no puede tardar, respecto de estàr ya su Magestad à la Raya de Portugal.

Ante V. E. como mi Presidente de Indias, me acuso de este ardor Marcial, que siento en mi, y me aparta de mi ocupacion politica, que en Indias tengo de Proveedor. Ya en Roma me acusè mi primer pecado de mi primera campaña en la guerra del año passado en Italia, de Soldado voluntario; y de como en Mantua, y Burgoforte, donde fue lo mas sangriento, procurè cumplir con mi obligacion en la Compañia de Granaderos, que es la de mayor peligro, como la primera.

Fue V.E. servido de absolverme, y aun alabarme aquel mi primer ardimiento, y contarme por merito el que à vista de vn Rey, que salia en persona à campaña, no me sufriesse el animo el quedarme en Madrid.

No

No eſperè yo menos de V. E. pues ſabia, que ſu ardor en el ſervir al Rey ſiempre fue tan grande, que ſin quererſe valer de los grados altos en que naciò, ganados por ſus Reales abuelos, quiſo empeçar, como ſi no tuviera grados heredados, por Capitan de dos Compañias de Cavallos en Cataluña, y Capitan de Guardias en Milàn.

Quien me abſolviò de aquel mi primer ardor en la guerra de Italia, ſin duda me abſolverà de eſte ſegundo, en guerra tan cerca de nueſtra caſa, como en Portugal, provocandonos à todos ſus Vaſſallos à embidias generoſas nueſtro miſmo Rey, y Señor, ſaliendo en perſona como allà.

Y por ſi V.E. como Preſidente de Indias, zeloſo de que aſsiſtan à ſu obligacion los que tienen empleos en aquellos Paìſes, reparare en la auſencia que yo hago al mio de Proveedor General, ſatisfago poniendo en ſu conſideracion el privilegio que tiene mi oficio, de que le pueda ſervir quien le poſſee, por Teniente, todo el tiempo de ſu voluntad: y que para mayor ſeguridad, y merito hize expreſſa repreſentacion de todo à ſu Mageſtad, pidiendo duplicada la licencia de hazer aquella auſencia, y hazer eſta campaña, y ambas expreſſas, fue ſervido ſu Mageſtad de concedermelas. Aſſeguro

de

de passo à V. E. que quien por mi queda en Lima exerciendo mi oficio de Proveedor, cumplirà mejor que yo, y con tanto acierto como V. E. puede desear.

Dispensado, pues, en esto, y absuelto por mi Presidente de Indias, passo à pedir à V. E. otra dispensacion, no como à Presidente, ni como à Gran Señor, sino como à hombre tan Docto: y la dispensacion es, de los yerros, y errores de este mi Libro. Algunos, quizà, tuviera menos, si como lo he escrito en caminos, campañas, y region, en que estoy de passagero, sin libros, ni reposo, lo huviera escrito en Lima, en el ocio sabio de entre libros, y felicidad de tiempo desocupado. Otros menos, quizà, tuviera, si como lo escrivo oy, lo huviera escrito veinte años ha, quando era Estudiante, quando (si V. E. me dispensa este punto de hablar en alabança propria) no tenia otro divertimiento, que las letras de los Derechos en la Vniversidad de Lima, y en mi Colegio Real de San Martin, sustentando, y presidiendo muchos Actos, regentando Catedras, Opositor à ellas, Licenciado en ambos Derechos, y Abogado en aquella Real Audiencia.

Este hermoso camino de Jurisprudencia dexè por el oficio de Proveedor, que heredè,

¶¶ por-

porque es perpetuo por juro de heredad en mi Casa; con que de aquella fogosidad del saber, apenas ha quedado algun calor, olvidandoseme la Jurisprudencia entre las muchas ocupaciones de la Proveeduria. V. E. vniversal en todo, y assi sabio, sea servido de suplir mis defectos, que notarà con su perspicacia.

Suplico tambien à V. E. sea servido de atender al zelo que me mueve à escrivir este Libro, que creo se conocerà, ò traslucirà bien por entre los renglones. Es mi fin, el servicio mayor del Rey; el buen vso de la hazienda Real; la inconfusion de las rentas de la Proveeduria; la buena, y acertada aplicacion de la Anona; la observancia puntual de las leyes que ay para esto; y en fin, la advertencia de las fraudes infinitas, que se pueden executar contra la Real hazienda, en vn oficio de tan gran manejo, si no se advierten todas; y que es casi impossible que se eviten todas, aunque se adviertan.

Hansele ofrecido à mi zelo muchas ocasiones de clamar, representar, y advertir, para remediar algunos desordenes, ò puntos no assentados, ò no observados; pero como no estava escrita la esfera, ò la obligacion de este mi oficio, no tenian mis clamores todo aquel lugar que yo queria. Espero que de oy en ade-

lan-

lante ya le tendràn. Hallaràn ya mis representaciones mucho camino andado en las noticias que eſte Librito darà à mis Suporiores, de mi obligacion: quando llegue mi voz, ya avrà hablado por mi eſte mi eſcrito; trabajo aora por muchas vezes: ya hablarè menos, y con mas eficaces vozes.

Eſte mi buen fin, y la ſombra de V. E. que pido con todo rendimiento, me han alentado. Perdone V. E. mis defectos, y ſea ſervido de recibir mi afecto, y buena ley, que deſea à V. E. y à ſu Gran Caſa toda felicidad. Y pido à Dios guarde à V. E. y proſpere en ſu Grandeza muchos años, como deſeo. Madrid, y Março 30. de 1704. años.

Excmo Señor

B. L. M. de V. E.

ſu mas afecto ſervidor

Don Pablo de Santiago Concha.

CENSURA

DOCTISSIMI, ET CLARISSIMI Domini D. Vicentij de Aramburu, Illustris Ordinis S. Iacobi Equitis. A Consilijs Regis Catholici, & in eius Limensi Regio Senatu electi causarum vindicis Fiscalis Numerarij, promisso ascensu ad Senatoris munus in ipso. Et ad Regium Novi Regni Granatensis nunc Dignissimi Senatoris.

EX commissione Illustrissimi Domini Lic. D. Nicolai Alvarez de Peralta, Protonotarij Apostolici, Tribunalis Nunciaturæ Hispaniæ Iudicis in Curià. Et Tenentis locum Illustrissimi huius Villæ, & Curiæ Matritensis Vicarij Generalis.

De Præfecto Annonæ tractatum à Meritissimo, Sapientissimo, Nobili Domino Licenciato D. Paulo de Santiago Concha. Ingenio Limano, illius terræ florigeræ omnis apicis acuminum certè Odorifero Flore. Equite Ordinis Calatravæ, Præfecto Generali hæreditario, & Perpetuò Militaris Annonæ, Classium Regiarum Maris Pacifici, & Præsidij Portus Callai, compositum, & mirè concinnatum avidus legi, & avidior per legi. Opus herclè omne genus laudis, & gratulationis

con-

concitans, reconditæ Iurisprudentiæ thesauros evolvens, ac flores Annonæ Militaris delibans. Post hac Annonæ materia, vsque modò invia, & non illustrata, his obscuris notis exuitur, & luminaris radiantis splendorem, & nomenclaturam sortitur, & promeretur.

Illustre simile illustris huius libri conceptus in suo cognomine ministrat Author illustris. In *Concha*, inquam, quæ bibens liquidum Maris humorem, sudorem Occeani, pretiosam gemmam visceribus concipit, & ad ornatum, & splendorem mirabiliter format. Sic Author in *Concha* huius libri, cognominis vè sui postquam bibit, & scrutatus intimè fuit Maremagnum titulorum iuris, & præcipuè, qui reperiuntur in tribus vltimis libris Codicis Iustinianei, & qui extant in Codice Theodosiano de Annonà Regià, Militari, & publicà differentes, hanc pretiosam ex omnibus medullam, inæstimabilem gemmam in sui ingenij visceribus gloriosè activis adornatum, & splendorem publicum concoxit, & profert.

Et si *Concha* (secundum Authores Naturales) de rore cœli gemmam suam format, nec hoc nostræ deest similitudini; ingenium enim vivacissimum Authoris, quò Deus illum locuple-

pletavit, cœli Ros est. Virtutes animi, quæ illum verè ornant, & quas certè non retardant, nec ratio nobilitatis, nec scientiæ, nec divitiarum, nec Militiæ, cœli Ros sunt.

De Annonà Militari Classis Regiæ tractat subtili, & diserto calamo. Nil mirum, cum de eàdem Annonà tractet subtiliori, & disertiori manu. Speculativè ex hoc libro apparet magnus Annonæ Præfectus. Practicè est maior. Ipse idem est Author Præfecti Annonæ in libro, qui est Annonæ Præfectus in persona. E duplici fonte Præfecturæ Practicæ, & speculativæ hic liber fluit. Et (vt verum dicam, & non tàm Censor libri Præfecti, quàm testis ocularis operationum vivi huius Præfecti) quanquam Præfecturam hoc libro summè illustret calamo, & doctrinis; plus eam illustrat Limæ exercitio, & operibus; integerrimus enim Minister, summè zelans, & vigilans Gazam Regiam optime contrectat, & auget.

Venit à radicibus humor. Hæ Præfecti Authoris Præfecti dotes integritatis, dexteritatis zeli, & aliæ similes, hæreditas mihi visæ sunt. Ab insigni Patre suo similiter Præfecto similibus dotibus excellente, eas omnes tanquam Præfecturæ connexas hæreditavit. Optimus Pater, notæ apud omnes famæ, filio suo reliquit Præfecturam vinculatam summo servitio

Re-

Regis. Hæreditatem adijsse, & vinculum acceptasse filius visus est, adeo tenax integritatum Patris, vt posim dicere cum Iesu Sirach loquente de bonis patre, & filio in cap. 30. Ecclesiast. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.*

Vltrà Præfecturam, quam accepit à Patre, posidet profundam Iurisprudentiam, quam non accepit. Ardet etiam animo Militari, quem gloriosè ad praxim posuit anno 1702. serviens prope personam Regis miles libens in bello Italiæ in prima cohorte, vbi validisimum semper erat bellum. Modò præmium accipiens illius primæ strenuitatis non potuit se cohibere, sed ad Lusitaniæ bellum pergit Capitaneus Commandans cum gradu Tenentis Coronelli.

Certè in hac huius libri recognitione non mihi videor censor, sed admirator. Laudatorē me agere debere cognosco, sed quem potius laudare debeam nescio. Authorem, an librum? Præfectum vivum, vel Præfectum scriptum? Laudemus vtrumque, & imaginem, & Prototypum collaudo, tandem si ex me resolverem, pro Præfecto vivo ius dicerem; operationes enim ipsius dignæ sunt summis laudibus, vt tamen muneri Censoris faciam satis pro Præfecto scripto meum iudicium proferens, assevero

Do-

Doctrina huius libri magnam Regij ærarij vtilitatem importare, licentiam, quam petit plenè mereri. Et non solum Typis mandandam esse, sed adamantinis pugillaribus scribendam, & executiendam fore autumo. Cumque aliàs nihil contineat, quod Catholicis institutis, ac puris moribus adversetur, immò in quæstionibus Moralibus, quas tractat, securioribus, & rigidioribus semper adhæreat, iustum censeo, vt Authori petita licentia concedatur, vt hic liber lucem publicam videat. Sic sentio, salvo, &c. Dat. Madriti die 20. Ianuarij anno 1704.

D. Vincentius de Aramburu.

LI-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Lic. Don Nicolàs Alvarez de Peralta, Protonotario Apostolico, Juez in Curia del Tribunal de la Nunciatura de España, y Teniente de Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido. Damos licencia para que se pueda imprimir vn Libro, intitulado: *De Officio Præfecti Annonæ*, escrito en Latin por Don Pablo de Santiago Concha, Cavallero de la Orden de Calatrava, Proveedor General de la Armada del Mar del Sur; atento que de nuestro mandado se ha visto, y reconocido, y no contiene cosa contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en Madrid à diez y nueve dias de el mes de Diziembre de mil setecientos y tres.

Lic. D. Nicolàs Alvarez de Peralta.

Por su mandado.

Manuel de San Martin.

¶¶¶ CEN-

CENSVRA, ET APPROBATIO

DOCTISSIMI, ET ELOQVENTISSIMI Domini Licenciati D. Iosephi de Castro & Araujo, in nostri Catholici Regis Consistorijs Advocati. Olim in Regia Criminum Aulà Pauperum carceratorum per novennium Defensoris Posteà Fisci Patroni. Deinde non semel ex præcepto Militarium Ordinum, Regio Conventu, similiter Fiscalis Promotoris Vlterius in Maiest. Refactionum congressu proprietarij Fisci Propugnatoris. Denique debitorum Fiscalium Decoctorum vltimi Iudicis. Qui circa hunc librum à Supremo Castellæ Senatu sibi ad censuram commisso, censet, & iudicat, vt sequitur.

M. P. D.

I*Mperatoriam Maiestatem non solum armis decoratam, verum etiam litteris oportet esse armatam*: protulit discretè Imperator Iustinianus in Proęmio Institutæ. Cuius occasione speciosum volumẽ pro huius textùs enucleatione in lucem edidit Ioan. de Redin sub titulo de Maiestate Princip. Et (ni fallor) Author præsentis operis mentem huius Imperatoriæ Constitutionis calluit; siquidem verba factis adæquando, quod Militià expertus docet, ingenio-

so

ſo acumine pugnando defendit; & quod armis decorat, legum interpretatione vindicat, & eodem tempore Miles, & Iuriſperitus mirabiliter invenitur. *Non apud eum ſiluerunt leges, etiam inter armorum ſtrepitus*, vt fallibile efficeretur prædictum commune dicterium, de quo Cicero *pro Milone*. Seneca *in Herculem furentem traged.* 1. Valer. Max. *lib.* 5. *cap.* 2. *Neque etiam arma inter ſtudioſos ipſius labores tradidit oblivioni*; vt aliàs erudite increpavit Doctiſ. Solorçan, inter eius opera poſthuma, *in princip. allegat.* 2. *contra Benavid.* Immò arma decorando, & legibus muniendo, conſonum, & Reipublicæ proficuum Præſidium condidit.

Sui operis argumentum non ex tritis Iuris rubricis, nec ex vulgaribus Iuriſprudentiæ rudimentis deduxit, ſed ex ſterilibus, invijs, & non paſsim tractatis titulis: de erogatione Milit. Annonæ; de Officio Præfecti: de Canon. frum vrb. Rom. & alijs reconditis Codicum Theodoſiani, & Iuſtinianæi eos perluſtrando feliciter extraxit. Argumentum illuſtre, æquè ac invium. Quam magni enim debeat haberi cuiuslibet rei Annonariæ providentia, & cura in eius, & præcipuè Militaris prævifione, & præventione, abundantià, & erogatione, vt ſine ſingulorum diſpendio vniverſitati Militari, aut Civili conſulatur, non ſolum animad-

¶¶¶ 2 ver-

vertitur in repetitis sub prædictis titulis iussionibus, verum, & eleganter posteritati consultum relinquitur à Casiodor. lib. 11. epist. 5. in eloquentissimis sequentibus verbis: *Procul enim sit, vt aliquo illius vniversitatis essuriente, satiemur. Illorum (quod absit) indigentia, nostra penuria est. Quid plura? Læti esse non possumus, nisi & illos gaudentes communiter audiamus. Atque ideo tantâ vivacitate incorrupta species frumenti congregetur, & panis inde coctus, non horrori, sed delicijs videatur esse propositus. Ponderatio iusta servetur. Vincant copiæ mentium, desideria, non putatur abundare, quod quæritur. Fugite scelerata lucra, vitate nefanda compendia.*

Idem lib. 10. epist. 18. simili eloquitur elegantia: *Sed ne in aliquo vobis gravis existeret, vel ipsa defensio exercitui destinato, ordinante illo* (ad Theodoadum Regem refertur) *Annonas facimus secundum forum rerum venalium comparari, vt & illis toleretur necessitas excedendi, & vobis auferatur causa dispendij.* Quod antea pro Militum coercitione lib. 6. epist. 22. his verbis statuerat: *Verum inter hæc, civilium cogita disciplinam. Non permittas Milites esse possessoribus insolentes. Annonas suas cum moderatione percipiant.* Et Theodoricus Rex apud eundem, lib. 5. epist. 13. *Non minus cauta publicavit edicta; atque ideo præsenti iussione vos credidimus admonendos, vt Annonas consti-*

stitutas exercitui præbere debeatis, quatenus, nec illi negligantur adverso voto, nec Provinciales perniciosa debeat gravare direptio. Commodiùs enim sub expensarum lege tenetur exercitus, quam si cuncta fuerit vastare permissus. Ignorat modum servare præsumptio; nec potest sub modo redigi, cui licentia fuerit visa concedi. Quàpropter consequatur exercitus alimoniam deputatam, ne qua pars prædictam posit sustinere molestiam.

Cuncta hæc dogmata Author accuratè perpendit, de personis pertractans, & rebus. De personis, cum Præfectos, cæterosque Annonarios Ministros debitis, quibus gaudent privilegijs extollit, obligationemque eorum strictè commendat; vt eius vinculi adstricti, & admoniti, à cuiusvis criminis perpetratione arceantur, vt aliàs consultum prospexit *in leg. Capitalium, §. Famosos, ff. de pœnis.* De rebus, quando vt expertus, & in eis versatus, fraudibus obvians, dum Fisci consulit indemnitati, subditorum etiam iniurias avertit, ne fortasis Possessores exigentium authoritate quotidie perterriti, suis iuribus destituantur, vt Imperator Maiorianus advertit in Novell. de qua Amaya *in leg. 1. Cod. de execut. & exactor. tribut.* Sed illa delectabilis providentia servetur, quam Casiodorus iuste, & eloquenter scripsit: *Ita vt nec Fiscus noster sustinere videatur incommoda,*

da , & nos cognoſcamus ſubditis præſtitiſſe iuſtitiam.

Cum præter hæc igitur nihil noſtræ Catholicæ Fidei adverſum, nec bonis moribus inveniam oppoſitum, licentiam quam optat, vt citius in lucem hoc opus prodeat, & in lumine eius clarius iuſtitiæ lumen eluceſcat, libenter concedendam cenſeo. Salvo, &c. Matriti die 12. Decembris anno 1703.

Lic. D. Ioſeph de Caſtro & Araujo.

LI-

Licencia de los Señores del Consejo.

TIene licencia de los Señores del Consejo Real de Castilla, Don Pablo de Santiago Concha, Cavallero del Orden de Calatrava, Provedor General de la Armada del Mar del Sur, &c. para poder imprimir, por vna vez, este Libro intitulado : *De Officio Præfecti Annonæ*, como mas largamente consta de su Original, despachado en el Oficio de D. Thomàs Suazo y Aresti, Secretario de su Magestad, y su Escrivano de Camara. Madrid, y Diziembre 17. de 1703. años.

Don Thomàs Suazo y Aresti.

FEE DE ERRATAS.

Pag.	col.	lin.	*Errata.*	*Lee.*
1.	2.	7.	Ad debeantur,	debeantur.
5.	1.	25.	Superioris,	Superiorum.
8.	1.	6.	levi,	leve.
8.	2.	22.	menses,	mensis.
9.	2.	18.	eo, quod sim,	dum essem.
9.	2.	20.	fruar,	fruebar.
11.	2.	3.	æqualis,	æquales.
25.	2.	23.	vicarios,	vicarius.
27.	2.	17.	fiant,	fiant.
33.	2.	30.	casu,	casus.
47.	2.	10.	legat. 1. ad mun,	legat. 1. leg. 1. ad mun.
66.	2.	25.	gaudete,	gaudere.
89.	2.	32.	concessim,	concessum.
96.	2.	29.	volunt,	nolunt.
		31.	altam,	non altam.
100.	1.	26.	sequitur,	sequimur.
111.	2.	18.	pradicarum,	pradicatum.
135.	2.	2.	iubear,	iubeat.
145.	1.	23.	ponderoræ,	ponderosæ.
148.	1.	23.	Iulij,	Tullij.
157.	1.	7.	Boleros,	Boteros.

161.	1.	8.	veurm,	verum.
165.	2.	8.	ira,	ita.
165.	2.	28.	eſt,	ex.
170.	1.	12.	cautus,	cautius,
171.	2.	14.	num.8.	num. 9.
182.	1.	31.	790000.	7900000.
188.	2.	14.	poſt,	poteſt.
194.	1.	10.	rationis,	rationes.
198.	2.	22.	conſecrate,	conſecrare.
201.	1.	23.	24442.	204442.
201.	2.	20.	ſex,	ſeu.
202.	2.	3.	pugatum,	purgatum.
202.	2.	27.	Rep,	Ripol.
217.	1.	26.	pareat,	perdat.
220.	2.	19.	memoratum,	numeratum.
238.	2.	16.	largionibus,	largitionibus.
241.	1.	3.	iam,	tam.
243.	1.	5.	fundamenti,	fundamentali.
243.	2.	11.	maior,quod primum,	minor quoad primam.
259.	2.	29.	ſit,	fit.
274.	2.	32.	negotiatur,	negotiator.
282.	1.	11.	continet,	continent.
285.	2.	15.	timores,	timoris,
297.	1.	8.	dominium,	pretium,
302.	1.	22.	cap. de empt.	cap.1. de empt.
319.	1.	29.	debebus,	debemus.

He viſto eſte Libro intitulado: *De Officio Præfecti Annonæ*, ſu Autor el Capitan Don Pablo de Santiago Concha, y con eſtas erratas correſponde à ſu Original. Madrid, y Abril à 3. de 1704. años.

Don Benito del Rio y Cordido.
Corrector General por ſu Mag.

AL

AL AUTOR.

Fr. MIGVEL DE LIMA, SU HERMANO.

SONETO ACROSTICO.

A	mantes	S	on de tu	F.	ortuna , y	F	ama
V	ozes	A	ltas, que en	M	etro	R	everente
C	opian tu	N	ombre; y ſu	I	nſtrumento	A	rdiente
T	u ſciencia,y	T	u valor	C	anta , y	T	e aclama.
O	bligado,	I	Pariente	H	ago	E	pigrama;
(R	ixa le	A	mor) y	A	(ſi te	R*	epreſente
I*	ntegro , y	G	rave,	E	n Leyes	E	xcelente.
P	uro en tu	O*	ficio el	L*	ibro	T*	e declama.
A	rmas	C	on Letras	D	e comun	A	cuerdo
V	nen , y	O	bran	E*	n modo	M	uy amante
L	os ecos	N	obles de	L	a Lanza,	I	Labio.
O*	ſtentas oy,	C	on que	I	luſtrar lo	C	uerdo.
D	e vn	H	onrado	M	iniſtro	V	igilante
E	ſmalte	A	umenta	A	lo integro lo	S	abio.
*		*		*		*	

Eſte Soneto tiene 410. letras diſtribuidas del modo ſiguiente;

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.Y.	L.	M.
47.	7.	14.	11.	56.	3.	7.	2.	34.	22.	17.

N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.	X.	Z.
35.	39.	5.	2.	28.	22.	31.	24.	2.	2.

PROGRAMMA.

D. Paulo de Santiago Concha Equiti Calatravae, Praefecto Annonae Regiae Claſsis Limae Perpetuo. Olim Duci, modò Militi voluntario in Bello Italiae inardente; Regem eo bono zelo miranti, & ſtrenuè ſectanti. Michael de Lima Capucinus Germanus Frater toto corde Librum Annonae aeſtimans, ore celebro. Necnon gaudens de eo, quòd in Muneris obligationem ſua ſtudia verteret, Elogia exornata, & arte rara laborata formalizo. Si enim Curioſi notent Elementa; ex eiſdem, nullo omiſſo, nec variato Verſus conſtabunt.

Eſta Proſa, ò Programa tiene las miſmas 410. letras que el Soneto, y otras ocho mas. Pero ſon las que hazen el Año M. DCC. IIII.

DE ESTAS 418. LETRAS, SIN quitar, ni añadir, ni variar alguna se formaron los siguientes Versos Heroycos constantes.

ANAGRAMA PURISSIMO.

CARMINA.

Nonne loqui liceat, cantare & sanguine Nexo?
Stemma Calatravae rubeo Te Murice adornat.
Praefectum Annonae Generalem Lima veretur.
Te Iusta ex dono refovens Astraea decoro.
Et Pallas donat Clypeum Dea Bellica : nomen
Iurisconsulti voto det Diva Libello.
Ivit in Italiam, miro quatit ense Inimicos,
Zelo grata premens Magni vestigia Regis:
Causidici libros liba ; Capitaneus Arma.
Nonnullos Fortuna novos ibi donet honores.
O! dignè Merita Obrizo nova Marmore caelet!
AEtheros (oro) tandem Te ascendere Coelos.

E L O G I O

COMO APROBACION, Y MANIFESTACION de la vtilidad de este Libro.

VERSOS HEROYCOS LIGADOS A LAS LETRAS Acrosticas del Soneto; pero no à las demàs.

A	pprobo,	S	i liceat librum,	F*	irmo que	F	uturum
V	tilem &	A	uctori, miro &	M	odulamine	R	EGI.
C	ommoda	N	arrabo præli, quæ	I	nstillet in	A	ures.
T	ractet vt in	T	rutinà Præfectus	C	un&a	T	uenda.
O	fficium est	I	nsomnis: Fas	H	ebetare nec	E	sset.
R	egales	A	ugere Dapes,	A	uferre	R*	apinas
I*	n que dolos	G	azæ Fisci	E	fferveſcere	E	mentem:
P	ræfectum	O*	portet, fraudes	L*	atitare	T*	imentem.
A	nnonæ	C	onstantes	D	otes indicere	A	pertè,
V	t Prorex	O	culis legat	E*	xemplaria	M	unda:
L	uxus	N	e anteferat,	L	ucrûvè retardet	I	n emptis.
O*	damma in	C	lassem, que ex	I	nde erumpere	C	erno!
D	ecipiunt,	H	orrent,	M	erces sine limite	V	endunt;
E*	t tardè	A*	ccipiunt pretia;	A*	st Rex omnia	S*	olvit.

INDEX
CAPITVM TOTIVS OPERIS.
LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTIJ.

Cap.

AD LECTOREM.

RIgidum pariter, & Pium (amice Lector) te exopto. Rigidum, in omnibus ijs, quæ ad mei muneris Præfecti Annonæ exactam, immò & exactißimam, adimpletionem spectant. Si enim notaveris me in aliquo illius deficere, vel quia in quæstionibus, quas exagito, tutiores, & Regi favorabiliores opiniones non sequar, vel quia fraudes, quæ in Regem in contractibus à Præfecto faciendis fieri possunt, non perfectè calleam, nec remedia meliora eis apponam; vel selectiora dictamina, arbitriavè sectanda non attingam, vel quia non omnes huius vastißimi Officij scopulos sufficienter prævideam, & provideam, vel non rectißimè in omnibus me geram, vel tandem si non omnis amoris, & zeli in Gazam Regiam, me ex his scriptis, immò & ex meis operationibus, arguas, & convincas; dispensationem non petam. Gratias agam rationibus tuis, quæ me convincant. Monitus manebo, & emmendationem promptam propono, & exequar, veritatis enim (absit iactantia) inveniendæ, & sectandæ in mei muneris executione candidatus sum, & amator, quanquam eam in alieno intellectu inveniam, & vbi maius Regis mei servitium cognovero, ibi ero corde, & manù. Igitur in ea parte, quæ ad voluntatem pertinet, cum nec dispensatus, nec tepidus vellem munus meum exequi, rigidos Lectores, severè arguentes, asperos monitores desidero, immò & deprecor.

Ex alia parte pios meos Lectores exopto, eà scilicet, quæ ad intellectum spectat, & scientiam. Huius timidæ exoptationis rationem aperiam. Viginti ab hinc retro annis scripsissem forsitan subtiliori calamo. In studijs

dijs

dijs enim Iurisprudentiæ enutritus, in Collegio S. Martini Collegæ Regij trabeâ decoratus, in vtroque Iure Laureatus, Advocatus in Regia Limæ Chancellaria, ad Cathedras, & Præbendas indefessus Oppositor, nullum litterarium ludum recusavi, vel alumnus, vel Præses, vel secretus, vel publicus. Vtrique tandem iuri sedulitate vigili navavi operam.

Hæc tamen omnia litterarum exercitia, & ad scientias applicatio cessarunt ab anno 1685. ex quo scilicet Præfecturam intravi. Legibus, & studijs ferè nuncium remisi. Inopinatò certè eventu mutatus sum in Præfectum Causidicus. Quanquam enim meus parens obtinuerit, & possederit hoc Præfecti Officium sibi, suisque posteris perpetuum, de hac hæreditate, eo quod filius sextus numerarer, nunquam cogitavi. At meo patre decedente, & quinque me præcedentibus inventis Ecclesiasticis, laicus, & Præfecturæ capax inventus primus, ferè coactus in litterarum manumisione, ad novum Præfecti Annonæ studium animum, & studia converti. Quantum autem remotæ species Iurisprudentiæ, immò & Grammaticæ in Præfecto sint, quilibet considerare poteris. Igitur ex hoc capite (amice Lector) pium te desidero. Non petas obsecro, à Præfecto litterarum desertore apices subtiles, quos peteres ab actuali causidico. Scintillas, si quæ remanserunt, mirare, vlteriores profunditates non expectes.

Alias etiam causas proponam, quæ te moveant ad hoc Officium Pij. Scias hunc librum magnâ ex parte raptim in hac Madriti Regiâ esse scriptum: quamvis enim aliquando Limæ degens aliqua puncta in scriptis posuissem; levi tamen calamo pro meæ conscientiæ solùm excutiendo gravamine, non cum doctis pugnans, nec lucem publicam ambiens, nec de libro, nec prælo

co-

cogitans, ea tetigi; vſque dum Hiſpaniam pervêni, inopinatò quidem alio eventu, quem, vt in excuſationem proficiat, referre opus eſt.

Excell. Dom. Comes Monclovæ Prorex Peruanus deſcendenti mihi in Panamam ratione mei Officij illic Claſsi Regiæ proviſuro, iuſsit conducere quinquaginta Milites pro expeditione contra Scotos littora noſtri Darienis in Occeano infeſtantes, & Capitaneum illorum me fecit. Hanc obedientiam, vt implevi, poſitus in via media inter Hiſpaniam, & Limam, accedente motivo gravis negotij in hac Regià tractandi, obtenta licentià, tandem pervêni.

Tunc, fateor, in mentem venit illa olim ſcripta ſuper Præfecturà puncta perficere, amplificare, & additis multis, dare Typis. Motivum non fuit vanitatis, ſed prudentiæ, cuius teſtem (ò benigne Lector) te ipſum facio. Meum Præfecti Annonæ Officium vaſtiſsimum eſt. Provideo Claſsi, Præſidio, Deportatis, & alijs, & quidem ex diverſis pecuniarijs dotibus, quarum mixtus eſt vſus. Tractandum mihi eſt cum multis ratione contractuum, qui à me fiunt. Sunt infinitæ fraudes, quas aperiendas neceſſarium reputavi. Sunt oppoſitiones, quas ſedari rationabile eſt viſum. Sunt leges, quæ propter diſtantiam, & Regionis, & temporis obliterantur, quas in viridi poni eſt debitum. Hæc Regia, & hoc Conſilium Supremum Indiarum per tria millia ferè leucarum à Limæ diſtat, ratione cuius diſtantię voces, quas ibi damus, vix huc pertingunt. Hanc diſtantiam hoc libro abreviare conatus ſum. Omnia ſupradicta incommoda (vt vno dicam verbo) hoc libro pateſient, & vel remedium habebunt, vel punctualem repręſentationem facient, quæ deficiente hoc libro difficulter fiebant, & fierent. Conſilium Indiarum lætari de hoc ſpero. In ne-

negotijs enim confusis, distantibus aut n on bene positis repræsentationes claræ, & veraces sunt iucunditas, quà maximè delectantur boni Iudices. Igitur hac mea diligentia, & informatione præmissà, remedia firmissima ad omnia à Præfecto desiderabilia me reportaturum expecto.

Audisti (ò Lector) meum prudens, & non vanum scribendi motivum. Nunc facilè credes difficultates, & incommoda, quæ vt scribere possem, inveni. Advena, & Peregrinus hic sum, libros non habeo, vnum illic mutuatum peto, illic emptum quæro, illic emendum non invenio. Expergefactà tamen illà antiquà ad leges propensione, pulvereque ex iuridicis speciebus excusso, dies, ac noctes in hac Curià in hoc expendens, calamum applicabam, quando rep ntè Belli Italici strepitus calamum de manu abstulit.

Cum enim vidissem nostrum Regem Philippum Quintum strenuè se accingere ad illud bellum personaliter sustinendum, parùm honesta res mihi visa fuit, si Regem meum, advenæ ratione nil obstante, non sequerer, si ense non conarer defendere personam Regiam, cuius Gazam tueor munere, & calamo. Ergo ad praxim ardentem hanc idæam reduxi. In bello Mantuæ, & Burgifortis, quod crudele fuit, in cohorte Granatorum, *en la Compañia de Granaderos*, quæ prima erat in omnibus periculis, servivi per annum prope Eridanum Miles libens, etsi Miles obediens, adimplere curans omnes numero s Militis strenui.


Hyeme adventante Madritum regredior. Ensem depono, & calamum iterum accipio. Pulsum tremulum (ò pie Lector) ne mirere. Manus pulveri sulphureo inquiete assuefacta, ægrè iam quiescit in atramento. Labore tamen, & constantia res omnes fiunt.

Hac

Hac mei ipsius sustinentià,& his incommodis calamum in statu, quem vides, ducebam, quando iterum buccina Militaris strepitat, aures meas quatit, & cor concutit. Tractatur vndique de bello Lusitaniæ. Iterum Rex accingitur personaliter ad hoc bellum, immò & iam, cum hoc scribo, ad frontem Portugaliæ nostrum Exercitum strenuè, & invincibiliter ducens Regnum illud eversurus invenitur. Non potui me cohibere, nec cor reprimere. Quis, si potuerit, Regem nostrum pro nobis pugnantem non sequetur. Hunc meum conatum Rex summo honore vltra mea merita affecit, faciens me Capitaneum Commandantem in Phalange nuper erecta Sclopetariorum Regis cum gradu Tenentis locum Coronelli. *Capitan Comandante con grado de Teniente Coronel del Tercio de Fusilieros Reales.* Iam habeo totam meam quinquaginta hominum cohortem completam. Iam omnes sumus in procinctu, ad exeundum prompti, statim ac mandatum de itinere arripiendo accipiam, quod (vt video) moras non admittit.

Igitur libro huic meo filium rumpo, vlteriora fortè scripturus, si hæc non occurrerent. Quid mirum (ò prudens Lector) si à te benevolentiam petam! Meis defectibus parce, errores supple, exilitates ingenij voluntatis bonis affectibus compensa. De tua prudenti, & capaci pietate non dubito. Vale.

LIBER



LIBER PRIMUS, DE OFFICIO PRÆFECTI ANNONÆ, VULGO *PROVEEDOR GENERAL.*

CAPUT PRIMUM.

DE ETHYMOLOGIA.

1 CUm in omni re dilucidāda ethymologia sit prima (licèt remissa & brevis) lux; placuit hoc leve, alioqui parvipēdendum, non omittere, levi tamen calamo, prout rei levitas exigit. Fortè hæc vox Hispanica *Proveedor*, deducitur ex voce Latina *Provector*, verbi Proveho, quod significat *llevar, ò traer lexos*, idem ac *ulterius vebo*: ita Calepinus. Cumque omnia necessaria pro classibus, pro annona, pro militum victu, ad debeātur provehi, seu ulterius vehi, trahi, & mitti, vel asportari à Præfecto Annonæ, quocunque opus illis fuerit, rectè videtur ethymologia hinc deduci:

Valer.4.Arg. *Ratem prouehere per freta.*
Virg.3.Æn. *Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta.*
Mart.lib.1.*Vexerat Europen fraterna per æquora Taurus.*
Ovid.ep.21.*Hunc Venus in Cœlum cursu vexisset eburno.*
Id.eleg.2.lib.2.Trist. *Iupiter ipse leui vectus per inania curru.*
Id. 4.Trist. *Adverso tardam, quæ vehit amne ratem.*

Certè hoc est officium Præfecti Proveedor omnia provehendi in navi, in equo, in plaustro, per maria, per flumina, propè, vel longè.

2 Proprius tamen, magis consonum, & officio adæquans videtur ethymologiam deduci de verbo *Prouideo*, quod significat *mirar para adelante, mirar de lexos, proueer*, ita Calep. Vnde Provisor est is qui prævidet, id. ibidem, & Plin. hoc sapientis est, omnia, quæ ventura sunt providere.

3 Aliquando sumitur pro *consulere*, & *prospicere*, Cic. omnibus, quæ necessaria erant provisum putabant.

4 Etiam providere significat res necessarias comparare Cæs.lib.3. de bell. Civic. *Prouidere rei frumentariæ*. Idem 6.bell. Gall. *Prouidere in hyemes stabulum*. Vnde & *Prouisiones* vox Latina, & Hispanica dicitur. Cæs. de bell.Civ. *Frumentum prouisum*; & leg. 1. §. Cura carnis, de offic.Præf. Vrbis huiusmodi provisionem spectat totus titulus Cod. de erog. milit. annonæ.

5 Liber, cui titulus, *Tesoro de la lengua Española*, qui ethymologias vocum perscrutatur, sic ait: *Proueer*, prevenir con tiempo à lo necessario. *Prouision*, la que se haze de lo necessario para el gasto del año; lo qual se compra con tiempo, y à buē precio. *Proueido*, el que se aper-

apercibe en esta forma. *Proueedor*, oficio Militar, que provee Galeras, ò Exercito. Todo del verbo Latino *Prouidere*.

6 Nisi fortè dicamus hanc vocem Proveedor deduci ex omnibus supra dictis simul sumptis; omnia enim Præfecto Annonæ competunt. Provehit. Prævidet. Providet consulit, prospicit, & emit omnia necessaria ad Annonam, ad classes, ad militum, & remigum victus; & quia passim de illa in omnibus his sensibus loquar, & loquuntur, & expendentur leges hoc officium tangentes, ideo hic nil plus.

CAP. IJ.

De Priuilegijs, seu Regalijs Præfecti Annonæ, seu Proueedor.

1 PRolixam de Regalijs curam, & nimium plurimorum de eis hiatum acri integritate deridet, & accusat integer Dom. Solorzano lib. 5. de iur. Indiar. cap. vnic. num. 122. Minister enim; qui in servitio Regis indefessi debent laborare, obligationem, & onus proprium debent magnifacere, Regalias verò pendere flocci, & de illis non curare. *Quis est hic, & laudabimus eum?* quærerem, ni Dom. Solorzanum invenissem. Si hunc tractatum de honoribus ad tonum mysticæ Theologiæ poneremus, vel de illo Anachoretis doctrinam extrahere desideraremus, eo flecteremus sensa, & discursum. De Officialibus Regijs loquebatur Solorz. quando contra honorum pruritum invehitur. Pro sæcularibus loquor, de non offensa Dei, immò de iustitia, re Deo grata, laudabiliter à Principibus transumpta, dādi, nempè præmia, & honores his,

qui ſciunt mereri. Hoc facit Deus, faciant & Reges *Onus, & bonos* non diſtant voce, debent ſociari, & re. De hoc poſſem contra Solorzanum afferre multa, immò & multos homines, immò & omnes, etiam Anachoretas, D. Paul. *Cui honorem, honorem*, Rom. 13. 7. ſed de re tam clara dictum ſat ſit.

2 Non approbo Regalias excedentes merita, & munera: non propugno indignos: nō exaltetur, immò & animadvertatur, vigilantia nimia in dilatatione privilegiorum, & ſomnus in exactione muneris; at Regaliæ proportionatæ, quas Princeps ſua pietate, & benevolentia pro ipſius muneris decoroſiori adimpletione conceſſit, à Principis Locumtenente manuteneri debēt. Præſertim ſi non opponantur exactioni, & impletioni muneris, ſicut non opponuntur, immò conducunt. Vnuſquiſque tandem poteſt, & debet authoritatem ſui officij defendere, leg. 49. tit. 5. part. 5. Avendaño de exeq. mand. 1. part. cap. 5. num. 8.

3 Ex Regalijs Præfecti Annonæ aliquæ dignitatem, ſeu honorem Præfecti ſolum ſpectant, quas, licèt Solorzanus nuncupet inanes, nō parvipēdam liberalitati mei Regis gratus & aſtrictus. Aliæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad muneris executionem. De vtriſque dicam.

4 Prima Regalia honoraria Præfecti Annonæ, eſt *ſedes* in Capitulo Sæculari Limæ *Cabildo* ſervatur hic ordo. Primò ſedent duo Prætores, *Alcaldes*, poſteà Officiales Regij, vel Præfectus Annonæ, vel mixti (alternant enim) ille, & illi attenta ſolum inter illos diuturnitate, vel antiqui-

ta-

tate à die possessionis officij: deinde cæteri Capitulares. Obiter sciendũ. Olim Officiales Regios fuisse simul Rectores, *Regidores*, posteà exclusos ab hoc Rectorum numero, non tamen à sede in Capitulo; immò iussos fuisse sedere immediatè post duos Præfectos, & ante reliquos Rectores. Ita Escalona lib. 2. part. 2. cap. 10. fol. 171. citans duas Schedulas Regias annorum 1538. & 1573. quæ includuntur in lege 94. tit. 15. lib. 3. Novæ Recopil. Indiar. videndæ fol. 288. Et quanquam ibi excipiantur Officiales Regij Limani, & Mexicani, hæc exceptio maioris honoris titulo, & caussa facta fuit, & superioris sedium; iussi enim à Rege fuerunt sedere intra Chancellariam, vel Audientiam post Senatores, & Ministros Tribunalis Maioris Calculationum, *Tribunal Mayor de Quentas*: intra tamen corpus Audientiæ, & intra Clavicularios, *Mazeros*, hinc & inde corpus Audientiæ claudentes. Verum est, quod hoc non est ad praxim redactum: fortè quia numerus sedium Audientiæ in tantum excreverit, vt iusto longiorem lineã faceret, vel quolibet alio prætextu nobis ignoto, & à Prorege repræsentato. Hoc vnum nobis sufficit quoad præsens institutum, Officiales Regios, & Præfectum Annonæ ex intentione Regis adeò in superiori loco sedere debere vt semper cæteros Rectores præcedant, vel in Capitulo Civitatis, vt actu fit, vel intra corpus Audientiæ superius, sicut iubebatur. Hoc passim tacto, revertamur; & Præfectum Annonæ cum Officialibus Regijs conferamus.

5 Ægre tulerunt Officiales Regij hanc vnivocationem, & mixtionem

nem cum ipsis; moverunt litem, & traxerunt ad hunc Supremum Indiarum Senatum. Fulciebantur vnico hoc fundamento, nempè quod Officiales Regij, qui sunt tres, Thesaurarius, Factor, & Calculator, *Tesorero, Factor, y Contador*, quoddam quasi corpus mysticum componunt, & faciunt; quod, introgressione alterius corpus tale non componentis proculdubio videtur frangi, vel dividi; & quemadmodum corpus naturale non patitur intermisceri, & cõponi à non componente (cum hoc sit impossibile) ita nec mystica corpora idem inconveniens, seu impossibile pati debent.

6 Validius fundamentum pro Præfecto Annonæ pugnavit, & vicit: negando scilicèt Præfectum esse extra tale corpus (quod mysticum aiunt) affirmandoque illum esse partem illius corporis. Quapropter Rex creans Præfectũ pro Annona, creasse censendus est novum Officialem Regium, non vero intromisisse extraneum in corpus mysticum Officialium Regiorum. Et huic rationi subscribet quisquis sciat hoc munus Annonam providendi munus fuisse non personæ extraneæ, sed ipsorum Officialium Regiorum ante creationem Præfecti. Ipsi providebant Annonã: ergo hoc officium ex parte materiæ, seu obiecti, Officialiũ Regiorum est. Rex Præfectum creans illum inter Officiales, tãquam vnum ex illis numerari, & haberi iubet: ergo etiam ex parte formæ, id est, ex parte iussus Regij, qui Præfectum Annonæ de novo erectum in Regium Officialem formalizat.

7 Totum patet ex diplomate à nostro Rege Præfecto Annonæ præsti-

ſtito ibi: *Y que ſe os guarden, y os hagan guardar las miſmas preeminencias, gracias, mercedes, franquezas, libertades, y prerogatiuas, que gozan los dichos Oficiales de mi Real Hazienda de la Ciudad de los Reyes, aſsi en los actos publicos, como en los aemàs, en que concurrieren; ſiendo en eſta parte igual con ellos, de la miſma manera, que ſi fuerades vno de los miſmos Oficiales, ſin que aya diferencia alguna.* Et poſteà: *Y que ſe os conſerve en ellas uniformemente con los dichos mis Oficiales; à los quales mando, que ſi os embiaren algunos deſpachos, os traten en ellos como à Compañero ſuyo, que aſsi es mi voluntad.* Et alibi ibidem repetitum idẽ cernitur.

8 Et vt ad manum ſint mea fundamenta, caſu quo hæc vexatio mihi, vel meis ſucceſſoribus ab Officialibus Regijs inferri voluerit, ab eis peto. Quis taxavit, circunſcripſit eſſentiam corporis myſtici Officialium Regalium, & dixit illam cõſiſtere in tribus hominibus, Theſaurario, Factore, & Calculatore, taliter, quod implicet quartum intrare, adhuc Rege volente? Præſertim quando iſte quartus ſuperadditus iſti corpori myſtico, vel (vt melius dicam) ipſum corpus myſticum intrans nullam aliam occupationem, vel incumbentiam habeat, niſi proviſionem Annonæ militaris claſsiariæ, quam adminiſtravit olim ipſum corpus myſticum Officialium Regiorum? Niſi fortè dicatur hanc adminiſtrationem Annonæ eſſe propriam Officialium Regiorum, quãdo ſunt tres, non verò quando ſunt quatuor: vel, quando tres curabant de illa, vnuſquiſque per mẽſem ſuum; non verò quando Rex extrahens hanc curam de tribus, & modum antiquum

quum respuens, hunc novum est arbitratus, eamdem curam vni quarto committens.

9 Quod, quam ridiculum, & levi sit, nulli non patet, accidentale enim est, quod tres, vel vnus de Annona curent. Substantiale est, quod hoc munus providendi Annonam fuit proprium Officialium Regiorum, quando erant tres, & per menses providebant, & quod, quando quartus fuit erectus, nempè Præfectus Annonæ, ex voluntateRegis Officialibus Regijs associetur, superaddatur, eisdem honoribus, & sede gaudere debeat. Sed hoc substantiale favet Præfecto; ergo nil ei obstat, quod accidētale faveat Officialibus.

10 Possem multa dicere de melioratione, vel incremento, & augmento gazæRegiæ in hac pro vidētia Præfecti respectu illius antiquæOfficialium Regiorum. Scripta sunt omnia. Testimonijs publicis constat. Gloriari possem de mei Patris defuncti in servitio Regis, & augmento Regiæ gazæ sudoribus. Absit gloriari de meis, sed possem; sunt etenim. Vnum potest dici, quod facile omnes credent; scilicèt, melius provideri Annonam ab vno, quàm à multis alternantibus. Vnica eget hoc munus comprehensione, quæ provideat, & prævideat, quo tempore emere conveniat, vel nō. Pro vna re vnicum caput. Inter plures per menses non bene acta res erat; vnius menses desidia, alius activitati oberat. Vno verbo, si non omnes prævidebant, iacturam patiebatur Annona. Hæc fortè videns Rex, vel aliqua ex his, vel timens ne accideret quod timeri poterat, extraxit hoc officiū, & ab vno tantum in hoc serviri voluit.

His

11 His addo, quod quilibet ex tribus Officialibus Regijs habet distinctum suum munus non alternatum, nec permixtum, ita vt vnus sit Thesaurarius, & non reliqui. Alter Factor, & non alij duo. Alter Calculator, & non cæteri. Nunc sic. Si hæc tria munia possunt esse, & sunt in tribus distinctim, & sine alternatione, quin hoc obstet quominus tres vnum corpus mysticum componant. Cur munus prouidendi Annonam, quod erat penes Officiales Regios non poterit esse in alio, quin hoc obstet quominus ille alius idem corpus componat?

12 Et, ne immoremur, quod accidit, dicã. Huic expressæ Regis voluntati contradixerunt olim Officiales Regij, de quibus Solorz. num. 122. sedem disputauerunt Patri meo, & litem mouerunt, & ad Supremum Indiarum Senatum traxerunt. Præfectus tamen obtinuit tàm in prima, quàm in secunda instantia pro sua parte sententiam, vt videre est in diplomate seu executoriali earum, quo Præfectus munitur.

13 Hæc dicta sufficiant ad compescendum hunc præeminentiæ in sedibus Capituli conatum, & pruritum, qui aliquando è pectore, vel capite alicuius erupit, vel erumpere potest modò semisopitus, eo quod sim iunior in munere, & quarta sede fruar: aliud fortè, si prima fruerer.

14 Huic Regaliæ Præfecto concessæ in ordine sedendi affinis est alia in ordine subscribendi instrumenta emptionum à Præfecto factarum, vel alia instrumenta, quæ venditoribus traduntur, vt pretium mercium exigant. Conventionem de pretio subscribunt Præ-

fectus Annonæ. Visor Generalis & stipendij militaris Calculator, qui modò intervenit, quanquam non absoluto interventu (de quo alibi) inter Visorem, & Præfectum, *Veedor, y Proveedor*, res est dubia quis eorum prius debeat subscribere? Oppositas cõsuetudines observo. In Regia classe maris Occeani Visor Generalis subscribit instrumẽta prius Præfecto Annonæ. E contra in clasibus *de Flota, y Galeones*, prius subscribit Præfectus, vt refert Veytia dict. num. 10. adeò firma consuetudine, vt aliquando reluctante Visore, & litem movente, sententia consuetudini stans pro Præfecto contra Visorem lata fuit, adhuc militante in contrarium fortissima sequenti notabili ratione, nempè quòd Laurentius Andræas Garcia tunc Visor Generalis simul obibat munus Officialis Regij Domus Hispalensis, ratione cuius Præfecto præerat; ibi enim subordinatur Præfectus iudicibus domus, qui sunt Præses, & Officiales Regij, leg. 1. & 2. 6. & 7. lib. 9. tit. 17. Novæ Recopil. (circa quod immediatè reflectam) Hæc præexcellentia non obstitit quominus contra illum sententia ferretur. Et (quod plus est) supradictus Laurentius Andræas Visor sedebat prior Præfecto, & subscribebat posterior: sedebat prior vt Officialis Regius, qui (vt talis) erat Iudex; subscribebat posterior vt Visor, qui (vt talis) ex consuetudine illius domus, & clasis, cedit in subscriptione Præfecto.

15 Ex quo colligo subscriptionem primam, vel in primo loco non esse signum maioritatis, seu præexcellentiæ (vt lippus aliquis videbat) sed, vel consuetudinis regionis, vel

vel diciturnioris in munere possessionis, vel exercitij.

16 Nunc ad nos, & ad nostras consuetudines classis Peruanæ. De facto Præfectus Annonæ post Visorem subscribo, quia ille est me antiquior, diutius servivit, & suum munus gessit. Si autem vice versa Præfectus esset, vel in futurum fuerit antiquior, subscriberet (credo) vel subscribet prior Visore: quia cum in illo casu sederet prior, prior etiam proculdubio subscriberet; monstrosum enim, & disonum esset vnam, & eandem personam non multiplicatis formalitatibus, sed vnica, vnico respectu, & repræsentatione esse, primam, & secundam respectu eiusdem; primam scilicèt in sedendo, & secundam in subscribendo respectu eiusdem Visoris, neutro respectus, vel formalitates multiplicante.

17 Quod, à paritate Officialium Regiorũ probatur. Qui cum æqualis omnino sint, vtpote gerentes æquale munus, tàm in sedendo, quàm in subscribendo meliorem locum antiquitate, seu muneris diuturnitate metiuntur & regulant; ita vt aliquando Thesaurarius, aliquando Factor, aliàs Calculator, primus subscribat. Nunc sic: sed Visor Generalis, & Præfectus Generalis Annonæ sunt omnino æquales, & æqualia munera gerentes: ergo idem est observandum, tàm in sede, quàm in subscriptione.

18 Si autem casus venerit, in quo Visor me iunior prior me subscribere intenderit, non potero non protestari & litem proponere, quanquã fortè eam contestandam non subeam. Qualiquali iussioni sistam, multum de mea iustitia in iustitia confidens. Vnum ani-

madverſione dignum duco, vt cuidam deceptioni, ſeu fallaciæ camus obviam, quod ſcilicèt in his punctis præeminentiarum inter aliquos dignitate pollentes, ad allegandam conſuetudinem non eſt attendẽdum multitudini ſucceſsivæ annorum, ſed perſonarum ſucceſsivè intrantium, adeo vt minus temporis ſpatiũ ſit ſufficiens ad formandam conſuetudinẽ, quando tranſierunt exemplaria, quam quando anni, & non exemplaria.

19 Explico in noſtris terminis poſito ſcilicèt exemplo inter Viſorem, & Præfectum. Si Viſor antiquior per ſpatium 50. annorum Præfectum iuniorem præcederet, hoc diuturnius ſpatium non faceret conſuetudinem, nec ſufficeret ad præſtandam præeminentiam Viſori ſuccedenti iuniori reſpectu Præfecti antiquioris. Si autem per ſpatium viginti annorum Viſor ſemper pręceſit plures Præfectos ſucceſsivè intrantes, tàm antiquiores, quàm iuniores ipſo, hoc ſpatium, immò & brevius ſufficeret ad faciendam & allegandam conſuetudinem.

20 Ratio primi eſt in promptu; quia ad formandam conſuetudinem requirũtur ſimpliciter experientiæ multiplicatæ; ſed inter duos invariatos non dantur experientiæ formaliter multiplicatæ (annorum enim multitudo pro materiali, ſeu accidentali eſt) ergo non formatur conſuetudo.

21 Ratio ſecundi etiam eſt prompta à ſenſu contrario: quia vt conſuetudo fiat requiruntur exemplaria, ſuppoſito ſufficienti tempore; ſed ſi per ſpatium decem annorum Officium, v. gr. Viſoris præceſiſſet Præfectos, tàm iuniores, quàm antiquiores, darentur exem-

exemplaria in sufficiente tempore: ergo sufficeret ad allegandam, & introducendam consuetudinem.

22 Aliam Regaliam proponit Veytia num. 8. (quam Solorzanus benè potuit futilitatis arguere) quam conatus fuit adipisci Didacus Canales à Cerda, Præfectus Annonæ Hispalensis, nomenclaturam scilicèt *Domini*, adducto in sui favorem exemplo ex Dom. D. Antonio de Guevara, qui quando hoc ipsum munus subijt, eadem nomēclatura fuit potitus. Non cordate ambivit talem *Domini* nomenclaturam iste Cerda Præfectus Hispalensis, quin faveant illi exemplaria Guevaræ nec Præfecti Peruani: Non primum, quia aliunde Guevara hanc nomenclaturam *Domini* fuit sortitus; non quia Præfectus, sed quia fuit Consiliarius Regij Ærarij. Non secundum, pro quo reddo notoriam differentiæ rationem. Præfectus Hispalensis non est æqualis, sed inferior Officialibus Regijs, subordinatur enim in omni Iudicibus Domus Hispalensis, *Juezes de la Casa*, qui componuntur ex Præside, & Regijs Officialibus. Ecce Præfectū Hispalensem Officialibus Regijs subditum, leg. 1. 2. 6. & 7. lib. 9. tit. 17. Novæ Recopil. Indiar. Vnde apparet maiori dignitate pollere Andræam Garcia, de quo suprà numer. 13. ratione Officialis Regij, quam Visoris Generalis, quorum gerebat munera; ratione enim Visoris subditus erat sibi ipsi ratione Officialis Regij.

23 Præfectus verò Annonæ Peruanus in omnibus est æqualis Officialibus Regijs, & Visori, vt dictum est. Adeo vt soli Proregi subordinetur: *Al qual Virrey estareis subor-*

di-

dinado, y no à otro ningun Ministro mio. Nii mirum, quod Præfectus Peruanus inconcusse *Dominus* nuncupetur ab Officialibus Regijs, & Vilore, & illi ab illo reciprocè hoc enim totum inter æquales est. Immò à toto Tribunali Maiori Ratiociniorum, *Tribunal Mayor de Quentas*, quod superius est, Dominus nuncupor.

24 Quod autem Præfectus Hispalẽsis prætendisset nomenclaturam Domini ab Officialibus Regijs, non minoris imprudentiæ cum arguit, ac si Præfectus Peruanus eamdem prætenderet à Prorege dandam, & ab eo Dominum nominari, quod esset absurdum, & ridiculum. Nimirum omnis potestas residens in classi Peruana in Prorege respectu Præfecti, residet in classi Hispalensi in Iudicibus Domus, qui sunt Præses, & Officiales Regij respectu Præfecti: Nõ ergo miretur, quod contra ipsum fuisset lata sententia cupientem vocari Dominum ab ipso, cui subditus erat. Respectu autem aliorum Tribunalium inconcussa servatur praxis iuxta leg. 101. lib. 8. tit. 1. Novæ Recopil. Indiar.

25 Alia Regalia etiam Præfecto Annonæ competit, concursus scilicèt cum Prorege, & Senatoribus in illis congressibus, vulgò *Acuerdos*, vbi res annonaria tractanda venit, vt patet ex leg. 7. tit. 17. lib. 9. Novæ Recopil. Indar. vbi Prorex, & Senatores iubentur Præfectum accersere, vt de pertinentibus ad Annonam certiores eos faciat, ibi: *Llamen al Proueedor à las Juntas que se hizieren, para que les informe lo que conviniere.* Et ex diplomate mei muneris honorifico: *Y tengo por bien, que os podais hallar en las Juntas de Guerra, que hiziere*

ziere el dicho mi Virrey, donde se trataren materias de Proueeduria, que se huvieren de executar por vuestra mano. Et alibi: *Y los que assi os sucedieren en la propriedad del dicho Oficio, se puedan hallar en las Juntas de Guerra, que se hizieren, &c.*

26 Hæc Regalia bifariam considerari potest, vel quà honoraria, vel quà necessaria. Quà honoraria, importat honorem, strepitosum in Aula congressum, vanitatem tandem; eam ex hac parte libentissimè parvipenderem, immò & recusarem; non quia honorificam, cum mihi honores placeant; sed quia hic honos gravia secum affert onera, incommoda, iurgia, quæ non referam, facile tamen occurrent cuilibet rem hanc non superficialiter, sed profundè tangenti.

27 Quà necessaria, hæc Regalia servitium Regis importat, concessa enim fuit prudenti providentia, & fine, eo scilicèt vt certiores Proregem, & Senatores Præfectus Annonæ faciat de emergentibus circa rem Annonariam dubijs, & providentijs, iuxta illud Horat. lib. 2. epist. 1. *Tractent fabrilia Fabri.* Et Valer. Max. lib. 8. cap. 13. ibi: *Suæ denique Artis optimum quemque & authorem esse, & disputatorem.* Vnde illud tritum: peritos in Arte consulendos, leg. Comparationes, §. Omnes, vbi Baldus num. 17. Cod. de fide instrum. leg. 1. in princip. vbi Bartol. num. 4. de ventre inspic. leg. Semel, Cod. de re militari, lib. 12. leg. Si irruptione, §. fin. ff. finium regund. Baldus in leg. Nemini, Cod. de adv. divers. iud. verb. Opin. 412. Larrea alleg. 19. num. 13.

28 Quo respectu attento, & indigentia Præfecti

fecti bene perpensa talis Præfecti ad Senatum accersitus non reputabitur inutilis, & superfluus, & consequenter nec Regalia concurrendi in Senatu, vana & futilis adhuc à rigido Solorzano reputabitur. Et in hoc casu sedere debet sicut vnus ex Senatoribus, sicut sedent Officiales Regij simili modo accersiti. Ita Escal. lib. 1. part. 2. capit. 18. num. 11. iuxta Schedulam ann. 1570.

29 Multoties accidet, vt non sit opus Præfecto, vel propter claritatem rei tractandæ, vel propter supereminentem Proregis, & Senatorum comprehensionem callẽtem quaslibet de re Annonaria, & provisionibus contrectationes. In his casibus poterit Excellẽtiss. Prorex Præfectum Annonæ non accersere; leges enim, & diploma, seu titulus solum dicunt posse Præfectum interesse, debere autem interesse non dicunt. De Regalijs servitium mei Regis non promoventibus, non curo. Nullum laborem in servitio Regis recuso.

CAP. III.

De alijs solidioribus Præfecti Annonæ Regalijs.

1 Explicitis his levibus, & communibus Regalijs, transeamus ad alias peculiares, & adeo necessarias, vt sine eis non posset consistere Præfectura. Principalior (odiosa tamen, seu quæ Præfectum odiosum facit) est quod possit ab invitis dominis merces pro Annona necessarias emere, contra legem Invitum, ff. de contrahend. empt. leg. Nec emere, ff. de iure deliber. quam posteà, lib. 3. cap. 4. diffuse referam. Hæc Regalia solum Regi competit, seu Prin-

Principi, Covarrub. lib. 3.var.cap.14. supremam eam nuncupat Ripol. de Regalibus, cap.46. num. 6. & 7. Ex speciali delegatione, & commissione à Rege in Præfectum Annonæ transit, eaque gaudet, & vtitur, vt patet in diplomate seu titulo, ibi: *Podais tomar la madera, tabla, duelas, y arcos, que os pareciere ser necessarios, y hazerlas cortar de los montes, y conducir, y acarrear adonde estuvieren las dichas Naos. Y assimismo, todas las cosas que fueren menester para el dicho apresto, y despacho, de qualesquier personas que las tuvieren.* Et alibi specialius pro Annona: *Y assimismo os doy comission para que proveais, y hagais proveer, comprar, y embargar el trigo, harina, bizcocho, vino, carne, pescado, azeyte, legumbres, voteria, bastimentos, pertrechos, municiones, y otras cosas, que son menester para la provision, y apresto de la dicha Armada, y demàs Navios, tomando assientos, y comprãdolos de qualesquier personas, ò Concejos, que os pareciere convenir, &c.*

2 Hæc Regalia (fateor) est maxima, & suprema, vt ait Ripol. maximæ authoritatis immò & Regiæ, vt Solorz. lib.5. Polit. cap. 16. in princip. Æstimationem, & authoritatem Præfecto confert: iterum fateor Præfectus ipse. Quis tamẽ mihi credet? (& verum dicam) huic maximæ authoritati libenter renuntiarem, venit mihi in odium, quia me odiosum facit. Domini mercium Præfectum fugiunt. Onerosus honos. Hoc lib.3. prosequar.

3 Non solum autem habet Præfectus iurisdictionem, & authoritatem auferendi merces, & res pro Annona necessarias, sed etiam animadvertendi in eos, qui ex contractu obligati ad aliquam speciem præstandam, eam

C præ-

præstant damnificatam, corruptam, non sanam, ita lex 23. tit. 19. lib. 9. Novæ Recopil. Ind. Hic casus iam fuit aliquando ad praxim reductus; cum enim Præfectus à locatore carnium Annonæ publicæ Limanæ carnes sanas pro Annona Regia peteret, & illum non sanas dantem voluisset Præfectus coercere, & punire (est enim obligatus à Magistratu ad eas sanas præstandas) authoritatem, & iurisdictionẽ locator voluit eludere, & declinans Præfecti forum, Conclave Senatorum Supremum adijt, allegans se non cum Præfecto Annonæ Regiæ; sed cum Capitulo Sæculari Limæ (*Cabildo*) obligationem, & conventionem pœnalem initam habere, ideoque Præfectum excedere propugnabat.

4 Cognita tamen causa contra locatorem carnium sententia fuit prolata declarans Præfectum posse & debere cognoscere contra eum de transgressione suæ obligationis, & compellere ad sanas carnes præstandas; alioqui, cum nocumento ipsius obligati optimas, & si cariores aliunde quærere sumptibus locatoris à cõtractu publico, & obligatione propria deficientis. Et de Pistoribus asserit idem lex 22. Cod. Theodos. de Pistoribus.

5 Huic Regaliæ emendi ab invitis est alia finitima capiendi pro asportãda Annona vehicula necessaria etiam à Dominis invitis, iusto tamen pretio accedente. Et expressa in diplomate, ibi: *Y podais tomar los carros, y carretas, bestias de carga, baxeles, barcos, cabras, faluas, bateles, y demàs embarcaciones, que para ello fueren necessarias.* Et post pauca: *Y hazer pagar à sus dueños los alquileres, jornales, y fletes, que justamente huvieren de auer.* Et ex leg. Iubemus nul-

nullam, Cod. de Sacrof. Eccles. & ibi Bart.

6 Hæc Regalia etiam est maxima, & Regia, quod enim per illam fit, Regi solum licitum est. Bart. ibi num. 54. citans Andræam verbo *Plaustrorum*, Præfecto tamen Annonæ hæc potestas necessario deleganda est iuxta proloquium tritum: qui vult finem, vult & media ad finem conducētia leg. 2. Cod. de iurisd. omn. Iudic. Velasc. in axiom. iur. litt. C. num. 99. & litt. N. num. 14. Rex vult Annonam asportari à Præfecto: ergo navibus plaustris, vel brutis tanquam medijs: ergo, &c.

7 Ex eo autem, quod hæc potestas emendi, & capiendi ab invitis sit solius Regis, infertur eam in Præfecto non esse ordinariam, sed à Rege delegatam, seu (vt nos vocamus) privativam circa Annonam. Ita Veytia capit. 22. ibi: *Es dàle concedida jurisdicion para poder embargar todo genero de bastimentos, y pertrechos para las Armadas*. Cujat. ad titulum de Officio Præfecti Annō. hanc iurisdictionē, extra ordinem appellat argumento ducto ex Præfectis creatis ad publicam Annonam.

8 Gaudet etiam, & vtitur his ipsis Regalijs Vicarius Præfecti, seu Commissarius (de quibus posteà) qui à Præfecto mittitur mandata Præfecti circa rem Annonariam executurus, eorumque tenorem non transgressurus. Ex diplomate, ibi: *Quando embiaredes à sus jurisdiciones à embargar, tomar, y comprar los dichos bastimētos, y otras qualesquier cosas tocantes à la dicha Armada, y Nauios, os los dèn, y hagan dàr, vender, y entregar, conforme à la comisiō vuestra, que tuvieren las personas que à ello embiaredes*.

9 Vnde talis Vicarius Præfecti, si ex vi com-

miſsionis, ſolum habeat facultatem ſequeſtrandi merces, & impediendi ne væniant, id eſt, *embargar*, non tamen poteſt eaſdem merces à ſequeſtratione, vel impedimento liberare, *deſembargar*, abſque ſpeciali Præfecti ad hoc voluntate, & licentia; vt refert Veytia cap. 22. n. 4. qui Regios ordines pro hoc citat; & ratione probatur: quia cũ talis Commiſſarius, mandatarius ſit, mandatum debet formaliter adimplere, & exequi, & conſequenter mãdati terminos tranſgredi non valet, leg. Diligenter, 5. leg. Poteſt, 41. ff. mandati, cap. qui ad agendũ, de Procurat. in 6. Cardin. Tuſch. litt. M. concluſ. 39. Mantica de tacit. & ambig. convent. lib. 7. tit. 12.

10 Notandum. Hanc Præfecti authoritatem, quamvis communiter privativa nuncupetur, atque adeo indelegabilis videri poſsit, non cenſendam eſſe privativam ſtrictam; nempè ex illis privativis, quæ certum myſterium continent & imbibunt, de quibus in cap. quoniam, §. 1. de offic. delegati, leg. Mandatam, 3. de offic. eiuſd. quæ privativæ non poſſunt ſubdelegari, Eſcal. lib. 2. §. 1. cap. 22. num. 1. Præfecti autem authoritas, eſt latè privativa; vnde paſsim Commiſſarijs ſubdelegatur ab ipſo Præfecto: nec aliter fieri poſſet, cum eodem tempore in multis & diſtantibus locis pro tam vaſta Annona militari, & claſsiaria ab vno Præfecto diverſæ merces ſequeſtrandæ veniant.

11 Immò vt commodius vbique adſit, diſtantiæ non obſint, & munus impleat Præfectus, gaudet authoritate habẽdi non ſolum Vicarium vices ſuas Tenentem, *Teniente*, ſed etiam Officialem, vel Executorem, *Alguacil*, qui ordines à Præfecto

fecto expeditos obseruari faciat, leg. 41. dict. tit. 17. Veyt. dict. cap. 22. num. 27. & in diplomate Præfecti, ibi: *Os doy facultad para que podais nombrar vn Algaacil, que execute vuestros ordenes, y mandamientos tocãtes à la Proueeduria.*

12 Hoc sciendum. Quando à Præfecto, vel eius Commissario aliquid sequestrandum sit, hoc debere fieri coram Tabellione, seu Scriba maiori maris, & cum illo omnia instrumenta, scripturas, & acta absolui, leg. 13. tit. 17. lib. 9. Novæ Recopil. Indiar. non autem cum alio, ibi: *Ordenamos al Proueedor, que despache con el dicho Escriuano Mayor, y con la persona que sirviere su oficio, y no con otro ningun Escriuano, todos los Assientos, embargòs de Nauios, y compras de bastimentos, y las demàs escrituras, que huviere de hazer, y todos los demàs autos, que ante èl passaren.*

13 Si autem talis Scriba maior maris sit absens, vel infirmus, adeo vt non possit ipse, nec ipsius Locumtenẽs adesse, tunc Præfectus habet Regaliã alium nominandi cum obligatione reddẽdi prædicto Scribæ maiori illud, vel illa instrumenta, quæ propter absentiam, vel infirmitatem Scribæ, ipse perfecit & formalizavit, eo fine, vt in protocolo Scribæ maioris omnia pro Annona acta serventur ad manum, ita dict. lex 13.

CAP. IV.

De alijs Præfecti Regalijs. De nominationibus, seu electionibus à Præfecto Annonæ faciendis, vel fieri debitis.

1 PRæter Executorem, vulgò *Alguacil*, de quo suprà, debet Præfectus sibi assumere, & eligere Officialem maio-

iorem Præfecturæ, baiulatorem oneris, qui de omni scripto curet, v.gr. de Proregum decretis, de Præfecti cõsultationibus, de provisionibus, vel iussionibus factis, & faciendis, & alijs huiusmodi, ea omnia ad manum in protocolo Præfecturæ digesta custodiens, dict. leg. 41. tit. 17. lib. 9. ita expresse in diplomate Regio Præfecti, ibi: *Y tambien aueis de poder elegir los Comissarios, y demàs Oficiales, que para lo referido fuere menester.* Veytia d. cap. 22. num. 23.

2 Hic Officialis maior Præfecturæ gaudet omnibus privilegijs concessis Officialibus maioribus Officialium Regiorũ. Et hoc, non solum in classi, & Annona Peruana, vbi Regij Officiales æquales sunt Præfecto, vt dictum est; sed etiam in classibus Hispanis, *Galeones, y Flota*, vbi Officiales Regij Præfecto excellunt: *Y quando entra en la Sala, goza de las preeminencias, que los Oficiales Mayores de Tesoreria, Contaduria, y Factoria, entrando con espada, subiendo las gradas, y cubriendose.*

3 Hæc nominatio, seu Officialis maioris electio debet à Prorege confirmari. Ita iubetur in Præfecti diplomate, & arg. leg. 15. dict. tit. 17. Veytia lib. 2. cap. 3. n. 27.

4 Hic Officialis maior gaudet prærogativa supplendi vices Præfecti ægrotantis, vel absentis. Debet itaque instrumenta subscribere, contractibus adesse, tandem Officium gerere, & Præfectũ agere. Ita Veytia, & benè attenta natura rei, vel Officialis maioris munere attento. Ampliora facturus, si Præfectus vtens privilegio, quo gaudet (& quo actualiter vtor) serviendi per Vice-Præfectum, seu Præfecti Locumtenentis, fuerit ipse Officialis maior in Vice-

Præ-

Præfectum nominatus. In hac hypotheſi Præfecturam exercebit, non vt Officialis maior, ſed vt ipſe Præfectus, & vt specialiter ex ſpeciali privilegio ſubrogatus, vt infra patebit.

5 Nominare, & habere etiam poteſt Præfectus Annonæ ſecundum, & minorem Officialem. Ita Veytia d.cap.22.n.4.

6 Hic dubitari poteſt: An poſsit Præfectus hos Officiales ſine cauſa, vel cum illa deponere? Hanc quæſtionem latè, nõ brevitate qua ſolet, exagitat Veytia lib.2.cap.3.num. 27. ad quem volui Lectorẽ remittere, ſed quia liber Veytiæ non eſt obvius, eligo, ſi non transſcribere, reſolutionem, & leges eam tuentes breviter referre. Ratio dubitandi eſt, quia hæ nominationes, ſeu electiones ſunt liberæ ex voluntate Præfecti ortæ, & plerumque fiunt cum clauſula remotionis ad nutum nominantis, & rationi eſt conſonum, quod res diſſolvantur, modo, quo oriuntur, §. fin. inſt. quib. modis diſſolvitur obligat. cum modus deficiendi ſequatur ſemper modum eſſendi.

7 Ea non obſtante, reſpondeo: Prædictos Officiales non poſſe deponi abſque cauſa, quamvis nominatio facta ſupponatur cum clauſula remotionis ad nutum nomináttis. Notabit fortè Lector me contra meum privilegium reſpondere, libertatique meæ derogare. Non miretur. Sciat, vellem, hoc ſolum à me in meo munere deſiderari, iuſtitiæ, & rationis eſſe condidatum, & meas Præfecti operationes cum iuſtitia potius, quam cum privilegijs commetiri. Videamus modo an pro hac reſolutione iuſtitia ſtet? Ratio fundamẽtalis eſt, quia illa libertas deponendi, quan-

quantumvis expreſsè reſervata ſupponatur, non eſt, nec debet eſſe abſoluta, ſed rationalis, intra terminos rectæ rationis, & non in præiudicium tertij; cum autem illa depoſitio Officialis ſine cauſa tendat in ipſius præiudicium, quia plerumque eius honorem, & famam lædit, vt benè Menoch. de arbitr. lib. 1. cap. 7. num. 41. & ſeq. & num. 57. inde eſt, quod talis reſervata libertas, quanquam attenta natura libertatis, quam Præfectus habet, impediri non poſſe videatur; attenta tamẽ ratione, & damno tertij patiẽtis depoſitionem ſine delicto, tanquam iniuſta, & irrationalis veniat ex omni parte reijcienda. Nec obſtat quod poſsit, quia *id poſſumus, quod licitè poſſumus.* Eſt regula omnis iuris.

8 Probatur ex leg. 3. tit. 18. lib. 8. Recopil. Caſtellæ, leg. 7. lib. 4. tit. 13. dict. Recop. vbi iuſtè, & benigniſsimè ſtabilitũ eſt à noſtris Regibus, quod ſi Rex aliquem punire decernens tanquam maximi criminis reum, v. gr. proditionis, ante notorietatem culpæ, & iudicij ordinem litteras expedierit iracundas (*deſaforadas* nuncupat eas ipſe Legislator) in quibus illum delinquentem ſpoliat bonis, quæ alteri adauget, debeat Iudex eas litteras recipiens Regi obedire, non tamen litteras executioni mandare, donec de crimine reus cõvictus ſit; vel (vt melius dicam) donec ſecundas litteras Regis recipiat certum faciẽtes illum de ſententia poſt iudicialem ordinem, vel de notorietate criminis. Quam deciſionem de iure communi probant leg. Si vindicari, Cod. de pœn. Decianus lib. 7. de delect. tom. 2. cap. 32. numer. 16. Azeved. ad dict. leg. 3.

Et

9 Et ratio, quà hæc resolutio innititur, damni scilicèt proximi vitandi, fortius, quam Regem, cæteros premit, cum fortioribus vinculis adstringamur ad famam proximi conservandam, vel saltim non auferendam; quia nõ benè aufero, quod præstare non possum, leg. 23. tit. 7. part. 1.

10 Pulchrè hanc decisionem confirmat illud celebre responsum Federici Regis Siciliæ, relatum à Zurita in Annal. Arag. lib. 4. cap. 41. Nunciatum fuit Regi Gubernatorem Cataniæ proditionem patrare, & Civitatem Calabrensi Duci inimico tradere iam iam velle. Facta que instantia pro celeritate remedij, & supplicij, non expectata pro exactione iustitiæ certio ratione, prætextu periculi imminentis in mora, longanimi sapientia respondisse dicitur, melius Regi esse Civitate spoliari, quã fama spoliare ministrum non prævia certitudine delicti. Verba referam: *Que queria mas arriesgarse à perderla, que afrentar con nota de infamia à vn Ministro suyo sin auerle oìdo.*

11 Plura circa hoc accumulat Solorz. Polit. lib. 4. cap. 13. tractans, an Capitulum Ecclesiasticum cum Sedes vacat, possit deponere Vicarium Generalem ab ipso Capitulo nominatum? Et licèt pro affirmativa aliquos Authores citet, declarationesque Cardinalium, hæret negativè in vers. *Por manera,* & praxim de ea in Hispania stabilitam affert, casum citans, in quo Vicarios de tali depositione appellans ad Consilium Regium, sententiã obtinuit, quæ declaravit vim committi à dicto Capitulo.

12 Si maiora petas, Authores supradictos adi, & Mastrill. lib. 1. de Magistrat. cap. 27. num. 16.

Antunez de donat. Reg. part. 2. lib. 1. cap. 13. numer. 117. Pro nostro levi casu, dicta plura sunt. Quid tandem immoramur, & rationes quærimus? In terminis terminantibus Officialium maiorum ita stabilitum esse pro hoc Regno Peruano in Supremo Indiarum Senatu, vt refert Veytia vbi suprà.

13 Casu autem, quo iusta causa interveniat Officialem maiorem removendi, tractanda, & iustificanda est coram ipso Iudice, qui eum in Officialem confirmavit Veytia, ibi: *Porque sólo de aquel que pudo confirmar, es el declarar, si es, ò no es suficiente la causa, para que sea reuocado*. Sic Montemayor fol. 145. vsque ad 151.

14 Vltra hos Officiales permanentes, potest Præfectus Annonæ statuere Commissarios, quando illis opus habeat, qui res provisioni necessarias de longinquo veniẽtes tutò asportet, alioquin occultandas, vel rapiendas. Et loquor tàm de rebus iam à Præfecto emptis, quàm de emendis; tota enim hæc diligentia aliquando non superest. Hi Commissarij, vt veri mandatarij, commissionẽ à Præfecto in scriptis præstitá exactè adimplere debent. A Rectoribus Provinciarum necessarium auxilium petunt, secundum quod in ipsa commisione indicatum fuerit. Et hoc auxilium petitum non potest, nec debet denegari iuxta dicta in cap. 2. ad leg. 16. dict. tit. 16.

15 In hac lege numerus horum Commissariorũ ad quatuor restringitur. Sed hæc restrictio potius sumptui Regio cõsuluit, quam authoritatem Præfecto taxat. Patet ex contextu: *La facultad que tiene el Proueedor de nombrar Comissarios para las pro-*

prouisiones de su cargo, sea con calidad de que el Presidente, y Iuezes de la Casa señalen el salario que huvieren de gozar: y con la justificacion, y moderacion possible, nombrando los que forçosamente fueren menester, y no se pudieren escusar, con que no excedan el numero de quatro. Ergo ideo taxat, quia ad stipendia attendit: ergo non taxaret, si hoc non attenderet.

16 Ad quod respicit Veyt. dict. cap. 22. num. 30. referens Regias Ordinationes, quæ Præfecti vigilantiam monent, quatenus (si possibile sit) prædictos Commissarios eligant ex gaudentibus aliũdè stipendio, vt sumptus sit minor, ibi: *Que se procure que personas, que tengan sueldo (si estuvieren desocupadas) sirvan de Comissarios.* Et ibi statim ratio: *Para que con menos cantidad sean satisfechos.* Ergo si in Commissariorum maiori numero nullus sumptus fiat, talis numerus non debet restringi. Consequentia tenet, quia vbi non militat prohibitionis ratio, nec prohibitio ipsa militat, leg. In omni, vbi Bart. de adopt. leg. Quod dictum, ff. de pactis, cap. cum cessante, de appel. cap. etsi Christus, de iur. iurand.

17 Hæc doctrina est vera, sed in hac Peruana Annonæ Præfectura nec fuit, nec erit vnquam necessaria, ex eo quod provisiones semper fiant in Pottu Callaensi omnium fructuum pro Annona desiderabilium abundantissimo, quin Præfectus egeat Commissario, nec asportatione rerum ex longinquo. Aliquando egui; & vnus mihi suffecit, sumptu Regis nec minimo ad id expostulato. Quod ego feci, mei successores faciant. Petant à D. Prorege militem, vel milites equites ex illis quos pro sui custodia, & iu-

iustitiæ administratione continuo in suo Palatio Limano habet, promptissimos ad omne mandatum exequendum tàm in Ciuitate, quàm extra, cui ex voluntate Proregis selecto committatur cura, seu commissio Præfecti tradatur. Hi equites sunt magnæ authoritatis, cogniti ab omnibus in omni Prouincia, sunt omnibus diligētiores, Rectores, seu Correctores Prouinciarum iam sunt assuefacti ad auxilium talibus promptissimè impartiendum; sic negotium optimè fit sine sumptu; proprio enim equitum stipendio hi sunt contenti.

18 Insuper potest, & debuerat Præfectus eligere personam, quæ nomina omnium in carinis laborantium colligeret, & scriberet, qui vulgò nuncupatur *Apũtador de Maestranzas*, de quo Veyt. d. cap. num. 27. Hanc electionem non facio; praxis enim, ne dicam abusus, reluctant. Ex quo Præfecturam intravi, ab hoc onere talis electionis exoneratus inventus sum. Libro 2. tangam de hoc aliqua. Modò de hoc iure electionis supersedeo, tāquam de re nullum effectum producente, leg. 3. ff. quando dies leg. ced. leg. Non oportet, ff. de legat. 2. leg. 1. Cod. ne vxor pro marit. & vt cum Philosophis loquar frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum.

19 Alia nominatio fieri debuerat à Præfecto, quam non fieri, alacri animi dissimulatione, video, & reperi; nempè Magistrorum Nauium, *Maestres de Nauios*. Quorum electiones ad Præfectum pertinere constat expressè ex leg. 42. tit. 17. Nouæ Recopil. ibi: *Declaramos, que el nombramiento de Maestres de Raciones de los Nauios de la Armada de la Carrera, toca, y pertenece al* Pro-

Proueedor de la dicha Armada, el qual elija para estos oficios à las personas de mayor satisfacion, que hallare, con toda independencia, y desinterès.

20 Veytia de hoc iure loquens lib. 2. cap. 10. num. 3. quærit: an sit privilegium? an potius gravamen? Et quidem gravamen esse adeò firmiter tenet, vt miretur aliquos Præfectos præextitisse, qui de hoc pacisce-rentur, & in suis diplomatibus, quando tale munus adepti fuerunt, specialem conventionem, vel pactum inierint de talibus nominationibus ab ipsis omnino faciendis, ac si propter hoc, specialem elevationem, & authoritatem Præfecturæ adipiscerētur, & augerent, cum potius de non faciendis debuissent pascisci, si Præfecturæ gravamina excutere, vel declinare satagerent.

21 Rationes Veytiæ pro hac parte sunt à posteriori, vel ab effectu, experimentis scilicèt Præfectorum præfatum ius ad tales electiones enixè recusantium. Primum sumpsit ex anno 1607. quando huius electionis cura iniuncta, seu commissa fuit Præsidi, & Iudicibus Domus Hispalensis, qui vnanimiter huic honori, tanquam oneri renuntiarunt, & transijt electio ad Magistros Argenti, *Maestres de Plata*, tanquam verum, & reale incommodum commodi eorum compē-sativum. Secundum accidit anno 1637. quando Præses D. D. Bartholomæus Morquecho hanc electionem ei commissam facere recusavit ex eo solum (vt ipse aiebat) quod idoneum non invenerit, levi prętextu gravem rem dissimulans. Idem fuit responsum anno 1617. à D. D. Ludovico de Alcazar, qui tunc ex commissione speciali omnem speciem anno-

annonariam præparabat, cuius muneri (vt dictum est) nominatio accessoriè competebat.

22 Veytiæ subscribo; sed rationes ab eo adductas in effectu cognitas, in causa, vel radice fortiores cognosco; & certè militant consultis iuribus, tàm communi, quàm nostro Indiarum municipali, ad hoc vt non solum pro Regalia non æstimetur, sed pro ponderoso gravamine Præfecturæ iniuncto, à Præfectis (si licuerit) vitando.

23 Rationem solidam accipe. Quicumque aliquem ad aliquam Administrationem nominat, ratione nominationis tenetur pro eo, leg. Exactores, 8. Cod. de suscept. lib. 11. ibi: *Et animadvertant, quicumque nominauerint, ad discrimen suum vniuersa, quæ illi gesserint redundare.* Et leg. vnica, Cod. Theod. de quadrimestri brev. ibi: *Qui susceptionibus, vel nominationibus obligati.* Leg. 1. Cod. Theod. de suscept. ibi: *Si quem susceptorem euertisse constiterit rationem, & ad solvendum non esse idoneum, creator eius hac necessitate teneatur, vt quidquid ille dilapidauit, ipse de proprijs rebus instauret, compellaturque damnū omne resarcire, quod esset illatum, si in idoneis nominandis competens adhibitum esset examen.* Idem statuitur in leg. 4. 8. 9. 20. & 29. eod. Cod. Theod. & in leg. 2. Cod. iust. de suscept. Quis, ergo, vnquam prærogativam nominantis reputabit, teneri, seu fideiubere pro nominato ratione nominationis. Merito à tali electione (si licuerit) fugiendum iudico.

24 Doctrinam invenio in Baldo ad leg. Quoniam augerio, Cod. de conven. fisc. debit. lib. 10. cum qua posset Præfectus hunc vitare scopulum, & ab

ab hac pro nominato obligatione, seu fideiussione liberari, quæ est huiusmodi: Nominatorem, scilicèt, obligari ratione nominationis, quãdo ex voluntate, & sine subordinatione ad Superiorem nominat; non verò quando ex necessitate officij, & invitus tenetur nominare, & cum subordinatione ad Superiorem, qui ex nominatis eligit, quem vult. Quod etiam tenet Ponte de potestat. Proreg. tit. 3. §. 5. n. 18.

25 Contra hanc tamen doctrinam, & interpretationem stat expressa lex 44. tit. 24. dict. lib. 9. ibi: *Sean los hombres mas honrados, abonados, acreditados, y de mas satisfacion, que hallaren, los quales se obliguen con sus personas, y bienes à riesgo del Proveedor General*. dict. leg. Quoniam, Cod. de conv. deb. Fisc. lib. 10.

26 Hac, tamen, lege non obstante, vnum dicerem pro his nominationibus (si fortè aliquando ad Præfectum vel reluctantem, vel volentem, spectaverint) cum quo dicta lex, & Baldi doctrina fœderantur. Differentiam stabiliendam reputo inter casum, quo à Præfecto nominentur cum fideiussione, & casum, quo absque fideiussore nominentur. In primo casu tenebuntur, pro particulari susceptore fideiussores, vel fideiussiones recipiẽtes, non autem nominantes. Prima pars patet ex vulgatis. Secunda patet: quia ad hoc, vt nominans non fideiubens teneretur, necessarium erat, quod fideiussionem saltim ipse reciperet, vt in simili affirmat Escal. lib. 1. part. 2. cap. 19. num. 4. vbi loquens de nominatis ab Officialibus Regijs ad Administrationem Gazæ Regiæ eorum loco, ait: *Las fianças, que tambien estàn obligados à dàr, han de ser à sa-*

satisfacion, y riesgo de los mismos Oficiales Reales, que los nombran. Et ibi redditur ratio: *Porque conociendo el peligro, preuengan la caucion, que de èl les pueda librar.* Monstrosum enim esset, quod ob nominationem ab aliquo factam cum onere fideiussionis, alius præter fideiussorem teneatur, nempè Præfectus nominans, & quod non Præfectus nominans, sed alius fideiussores reciperet periculo nominantis præstitos.

27 In secundo autem casu quādo tales Magistri, seu particulares susceptores nominantur absque fideiussoribus, locum habeat prædicta lex; dicaturque tales susceptores periculo Præfecti nominantis administrare, & ex mala eorum administratione Præfectum teneri, tāquam fideiussorem, leg. Imperator, §. 1. ad municipalem, ibi: *Sed placuit fideiussoris exemplo priorem conueniendum, qui nominauit quia fidei ratione conuenitur.* Leg. 1. de Magistr. conveniend. ibi: *Parvi enim refert, nominauerint, vel fideiusserint, an in se periculum receperunt.*

28 Et in ipsa lege 41. hanc doctrinam imbibitam reperiet, qui eam attentè legerit. Integram eam referam: *El Proueedor General nombre los Maestres de Raciones, como se ordena por la ley 42. tit. 17. deste libro, que reciban los bastimentos, y lo demàs que tocàre à su oficio; los quales dèn seguridad, y fianças de dàr cuenta con pago de lo que se les entregare.* Hoc, quoad primum membrū distinctionis, quò nil clarius. Sequentia quoad secundum: *Y si no las tuvieren, sean los hombres mas honrados, abonados, acreditados, y de mas satisfacion, que hallaren; los quales se obliguen con sus personas, y bienes à riesgo del Proueedor General.* Ex quibus ver-

verbis clarè constat Præfectum (si fortè in classe Peruana hoc onus ei iniungatur) solum teneri, quando nominaverit Magistrum cum relevatione fideiussionum, vel quia ipse Magister non habeat, qui pro eo fideiubeat, vel quia Præfectus hanc illi maiorem gratiam conferre voluerit; tunc namque ipse pro fideiussore sistere censendus est.

29 Et vt in puncto harum nominationũ Præfectus semper evadat securus, & doctrina prædicta sibi ipsi non noceat, nunquam permittat, vt Magistri, seu susceptores secundum iter in eadem, vel in alia navi arripiant, quin ratiocinium primi præstet; erit enim in culpa Præfectus, si novum titulum, seu novam nominationem, non prævia hac diligentia præstet, vt in lib. 2. cap. 6. dicam.

30 Si autem ob negligentiam Calculatorum ratiocinium non præstetur à susceptoribus tempore suo, Præfectus deinceps nõ tenebitur, quoad residuum, vulgò *alcance*, in quo susceptor ex liquidatione ratiocinij debitor apparuerit, quãquam talis Magister administrationem accepisset à Præfecto relevatus à fideiussione; mora enim in petendo ratiocinio à Calculatoribus commissa ipsis, & non Præfecto nocere debet, qui proculdubio non iterum nominavisset, si ex primo ratiocinio, quod debuit exigi, & non fuit exactum, factus non solvendo apparuisset.

31 Præsertim si tempore primi ratiocinij non expostulati fuisset solvendo, & posteà iniuria temporis, vel fortunæ ad paupertatem devenisset. Et hic casus notandus est tãquam exceptio doctrinæ antecedentis, seu casu secundi membri distinctionis. Pro Præfecto stat

elegans textus in leg. 1. Cod. de pericul. nomin. lib. 11. ibi: *Hi, qui à te, collegaque tuo Magistratus creati sunt, etiam si maximè fideiussores non exegistis; tamen si per id tempus, quo Magistratus honor deponebatur, solvendo fuerunt, periculo vos creationis non fecerunt obnoxios, ex eo quod casu aliquo patrimonium eorum mutilatum sit, cum cessationi suæ id debeant imputare, damnaque Reipublicæ (si qua ob culpam eorũ passa est) resarcire, qui cum nomine publico eos convenire potuissent, id facere supersederant.* Ex quo colligitur illud reliquum, seu *alcance* exigi, & solvi debere à Calculatoribus nõ petentibus suo tempore ratiocinium. Quæ verba legis propositam doctrinam eleganter convincunt.

*** *** ***
*** ***
***

CAP. V.

De foro Præfecti. An Præfectus Annonæ sit Ordinis, seu fori Militaris?

1 HUic dubio ansam dedere, verba sequentia tituli, seu diplomatis Officij Præfecti: *Guardando en todo la orden, y acuerdos, que se tomaren por el dicho mi Virrey, à quien tan solamente aueis de estàr subordinado en todo lo tocante al dicho Oficio, y no à otro ningun Ministro mio.* Quæ verba taliter possent intelligi, vt indicent Præfectũ solum gaudere privilegio fori Militaris in punctis sui muneris, non verò in alijs civilibus, seu criminalibus ad eum, vel contra eum spectantibus.

2 Resolvendum statim, tanquam omninò certum. Præfectum Militari foro in omnibus gaudere. Probatur prima pars.

pars. Primò, ex iure antiquo leg. 1. Cod. qui militare pos. lib. 12. quæ munus illius inter militaria recenset. Secundò, ex Regio diplomate, quod refert Solorz. lib. 5. Polit. cap. 18. fol. 919. ibi: *Oficiales, y gente del Presidio del Puerto del Callao, y de la Armada del Mar del Sur.* Et cum dictum munus Præfectus exerceat tàm in Præsidio Callai, quàm in Regia illa classe, vt videre licèt in libris militaris stipendij, quod omninò desiderari videtur à Solorz. cap. 18. fol. 920. vers. *Y es de advertir*, & est ex se notum; notum consequẽter apparet, militari foro Præfectum gaudere, & potiri.

3 Tertiò, specialiter ego ex me ipso assertum probo; ex specialibus, scilicèt honoribus, quas à Regia magnifica manu, licèt indignus, obtinui. Duos referam; primò, D. & Rex noster Carolus II. mihi concessit, vt ad Nobiles Militares Ordines possem ascendere, & eorum vno stemmate, seu signo Crucis, quod elegerim, insigniri, nulla facta restrictione, non excepto, inquam Ordine Sancti Iacobi, qui Ordo tunc temporis, non Militaribus denegabatur. Quid ni, ergo testimonium sit evidens fori Militaris possessi honor solum Militibus concedi solitus?

4 Secundùm, Rex præcepit, vt mihi redderetur pecunia, quam in ingressu mei muneris Præfecti solveram correspondentem stipendio dimidij anni, quæ dicitur *Media annata*. Et hæc solutio, tanquam indebitè à meo Procuratore facta, repetita fuit, & restitutio mihi facta, ex eo solum, quod extet Schedula D. Regis Philippi IV. data anno 1644. die 11. Maij in Berbegalio, quæ iubet Militares non debere solvere

hoc ius Mediæ annatæ, quæ est in viridi obseruantia. Ex quo sic: Qui nō soluunt hoc ius, vel solutum repetunt, sunt Militares, & Militiæ foro gaudent; Præfectus non soluit, vel solutum repetit, ergo est Militaris, & Militiæ foro gaudet.

5 Secunda pars probatione non indiget, & ex probatione primæ manet nota; stabilito enim, quod Præfectus inter Militares, & Milites censeri debeat, manet indubitatum, quod in omnibus debeat tali foro vti frui.

6 Nec verba tituli suprà relata ibi: *En todo lo tocante al dicho Oficio*, huic sunt cōtraria. Dico, enim primò: D. Proregem aliquando considerari vt talem, & aliquando, vt Capitaneum Generalem. In rebus Præfecturæ, & negotijs ad Præfecturā spectantibus, ratione quorum specialiter subordinatur Proregi, & non alteri, considerandus est formaliter vt Prorex, locum Regis tenens; quoad alias verò contentiones Militaris fori, & ad discutiendas causas, tàm ciuiles, quàm criminales Militarium, & consequēter Præfecti, considerandus est formaliter, vt Capitaneus Generalis. Ita ex Romanis eum vocat Solorz. dict. lib. 5. cap. 18. & Magistrum Militum, & lib. 3. cap. fin.

7 Nisi dicamus secundò: Præfectū in exercitio Præfecturæ subordinari immediatè ipsi Proregi, seu Capitaneo Generali, & non alteri: in alijs autem causis non attendi tam rigidè, & litteraliter illam immediatam subordinationem Proregi, quin subordinetur etiam, sicut & Milites, Auditori Belli, & alijs, qui à Proregibus destinātur ad huius fori causas discutiendas, vt refert idem Solorzan. dict. cap. 18. fol.

fol. mihi, 919. col. 2.

8 De his Militaribus privilegijs Præfecto applicabilibus plura disceptare possem, quæ videri poterunt in Solorz. dict. cap. 18. & in DD. de Militia tractãtibus ad totum tit. qui militare pos. ideo supersedeo. Vt autem, intacto pede non recedam, vnum quęrere placuit: An testamẽtum Præfecti omni solemnitate carens sit validum? Respondeo negativè. Ex eleganti textu in leg. Scrinarios, Cod. de testam. milit. ibi: *Scrinarios, vel Apparitores, qui virorum magnificorum, Militum iussionibus, vel actibus obtemperant, etsi nomina eorum matriculis Militaribus referri videantur, nullatenus tamen in vltimis à se conficiendis voluntatibus, iuris Militaris habere facultatem decernimus.* Et leg. 4. tit. 1. part. 6. & tenent omnes Institutarij ad §. Illis, & §. Hactenus inst. de milit. testam. Et ratio est, quia hoc privilegium Militibus conceditur propter eorum imperitiam §. Supradicta instit. de milit. test. vel propter testium inopiam, vel Tabellionis, & fortè alterius, qui testatorem imperitum, vel rudem in subitaneis plerumque periculis, brevi erudire, & docere posśit. Quæ omnia non possunt accidere Præfecto in Civitate degenti. Et cum deficiente ratione legis, & ipsa lex deficiat, cap. cum cessante, de appellat. Tusch. litt. C. conclus. 137. &c. Inde est quod regulariter loquendo non posśit hoc privilegio Præfectus gaudere. Multa de hoc congerit Tusch. vide etiam Lezanam *in Appanagagio*, qui extat in tom. 4. oper. dub. 2. à num. 33.

9 Dixi: *Regulariter loquendo*; quia si irregulariter accideret, vt Præfectus ratione sui muneris Militaris inter Milites commo-

commorans constitutus aliquando, in eisdem Militum indigentijs, vel defectus Tabellarij, vel testium, necessitate pressus testamentum sine sufficiẽtibus solemnitatibus, conderet, illud valere autumo, & privilegio fori, quo aliunde gaudere vidimus, etiam pro simili occasione gaudere. Exemplum: Si in navi classiaria iter cum Militibus faciens, (quod sæpè accidit) illud faceret, quamvis non inveniretur in ea Tabellarius publicus, sed solum adesset Scriba navis, & quanquam aliquæ solemnitates (aliàs requisitæ) deessent, testamentum teneret, quia tunc omnes in procinctu esse reputãtur, vt advertit Solorz. dict. cap. 18. Et testamentum eorum omnium, qui in Militari matricula inveniuntur, privilegio Militari sustinebitur. Immò & aliorum, qui fuerint absque matricula in navi sustineri vltimam voluntatem ratio suadet; sed alia ratione, nempè necessitatis, non Militaris fori. Quod nõ est huius puncti.

10 Et ratio pro valore huius testamenti imperfecti à Præfecto facti est hæc evidens. Testamentum imperfectum, quod Præfectus facit in Curia, verum est, non tenere, sed non ex defectu privilegij Militaris (etenim illo gaudet, vt vidimus) sed alia ratione, nempè defectu indigentiæ, vel imperitiæ militum: ergo si inculpabiliter, immò laudabiliter, quia scilicèt muneri suo in navi, vel exercitu vacans, in eadem militum indigentia constitutus testamentum condiderit, quamvis sit minus solemne, stabit. Concurrunt enim tunc illæ duæ rationes, quæ testamenta imperfecta Militum sustentant, nempè privilegium Militum, quo gaudet, & in-

indigentia Militum, in qua laudabiter est constitutus.

11 Alia poterat hic quæstio exagitari. An Præfectus possit suo Militari privilegio cedere? Sed ne nimis divertamur, eam omitto. Quære pro ea Carleval. de Iudicijs, sect. 4. num. 464. qui pro negativa censet, & plures alios recenset.

CAP. VI.

De alijs prærogativis ad hanc Præfecturam specialiter pertinentibus.

1 PErpensis levi calamo privilegijs generalibus, quæ Præfecto competunt, tàm intra Præfecturam, & illius exercitium, quàm extra illam, & illud; restat aliquid dicendum de alijs, quibus gaudet ex speciali privilegio, seu Regia largitione, ipsius Præfecti personam nõ transgredientibus, iuxta privilegiorum naturam, §. Sed quod Principi inst. de iure natur. gent. & civ. cap. privilegium, de reg. iur. in 6. leg. Privilegia, 196. ff. de reg. iur. & latè per omnes.

2 Horum primum, & præcipuum est, quod possit huic occupationi satisfacere per substitutũ, & quod hoc munus non sit adeo œconomicum, vt persona censeatur electa, iuxta leg. Nec civitatis, 74. ff. de Procurat. leg. Neque, cod. tit. text. in cap. extirpandæ, §. Qui vero, de Præb. ibi: *Non per vicarium, sed per se ipsum.* Cuius verba commẽdantur ab Escal. lib. 1. cap. 3. in præfat. & à Solorzan. lib. 2. de Indiar. gubernat. cap. 25. num. 25. qui diffuse, & eruditè, vt solet, hanc materiam pertractat ea occasione: an Commẽdatarij possint absentiam facere à suis commendijs, implendo tale onus eis in-

iniunctum per substitutos? Et Polit. lib. 6. cap. 13. à fol. 1001. Nov. 29. cap. 2. ibi: *Sed neque vicario in locum suum; omnino enim hoc ipsum prohibemus; siquidem turpe est, vt quando ipse in Prouincia ius reddit interim alteri quoque vices suas contra legem committat.* Cap. Quoniam, §. 1. de offic. deleg. ibi: *Industriam personæ.* §. fin. eodem: *Sed certum ministeriũ.*

3 Vnde nec Commẽdatarij possunt absentiam facere; cum enim, regulariter careant privilegio serviendi per substitutum, personaliter servire adstringuntur. Eadem ratione Regij Officiales eodem morbo laborant, & substitutum nominare non possunt, Solorz. Polit. lib. 6. cap. 15. fol. 121.

4 Hanc autem dispẽsationem nempè: quod etsi persona electa videatur, non tamen personæ adeò munus adhæreat, vt per substitutum non possit adimpleri, solum ipse Rex potest concedere, ita Escal. lib. 1. part. 2. cap. 19. Larrea alleg. 86. num. 28. Solorz. dict. lib. 2. cap. 25. num. 21. Adeò, vt denegata videatur Proregibus, vt ipse Regias Schedulas referens affirmat dicto loco, *turpe* reputans (vt verbis Novellæ loquar:) *Vt quando ipse in Prouincia ius reddit, interim alteri quoque vices suas contra legem committat.* Ex quo sic: ergo si talis commissio non sit contra legem, seu Principis voluntatem, qui est lex viva, *ex vulgatis*; ipseque dispenset, privilegium concedens satisfaciẽdi tali muneri per vicarium, aut substitutum, nominatio substituti rectè fiet, & nemo poterit de hoc controversari, cap. cum ad sedem, de restit. spoliat. cap. muliere, de sent. excommun. cap. qui per alium, de regul. iur. in 6. leg. Is damnum, de regul. iur.

Et

Et tunc verificatur, quod qui per alium facit, per se ipsum videtur facere. Surdus conf. 50. num. 13. licèt hoc proloquium in subiecta Præfectutæ materia cum grano salis sit intelligendum, vt posteà dicam.

5 Hoc autem privilegium apertissimis verbis Præfecto conceditur in diplomate, seu titulo sui muneris, ecce ea: *He tenido por bien de concederos licencia, y facultad, como por la presente os la doy, y concedo, para que podais servir por Teniente el dicho Oficio de Proueedor General de la dicha mi Armada del Mar del Sur, y demàs Nauios, que se aprestaren por mi cuenta en el dicho Puerto del Callao. Y es mi voluntad, que podais nombrar para este efecto el dicho Teniente, y remouerle, y quitarle, y poner otro en su lugar, siempre que quisieredes, siendo aprobado por mi Virrey de las dichas Prouincias del Perù*, &c.

6 Ex cuius privilegij concessione, tanquam ex fonte manant alia privilegia inde necessario, & consequenter dependentia, nempè absentiæ, quo actualiter fruor; sum etenim absens: Petita siquidem, & obtenta licentia à D. Prorege, factaque à me posteà nominatione substituti, illiusque approbatione à D. Prorege facta Madritum, vbi hæc scribo, perveni, ad Limam, vnde egressus sum, brevi reversurus.

7 Hinc sequitur, vt vel Rex, vel Prorex possint Præfectum in alijs occupare, & de facto me vterque occupavit. Dom. Prorex Excellentis. Comes de la Monclova me in Capitaneum elegit Militum, quos ad hoc erexi, transportaturus à Lima in Portumbellum, vt exinde castrametarentur in Regno Darienis Scotos expulsuri, & feliciter expellentes ab illis nostris

F litto-

littoribus, vbi iam pedem fixerant.

8 Rex Carolus II. mihi fidit guberniũ, seu *Corregimiento*, trium Civitatum Regni Peruani, scilicèt, *Pisco*, *Ica*, *Nasca*, quod non possunt obtinere Officiales Regij nulla alia discriminis ratione (vt refert Solorz.) nisi, quia debent per se ipsos, & non per substitutos sua munera gerere. Ex quo sequitur, vt tàm ipsi, quàm alij, qui per substitutum suis muneribus possent satisfacere, possent illa alia gubernia obtinere.

9 Immò & maiorem absentiam, & distantiorem à meo munere occupationem Rex ipse mihi permisit anno præterito 1702. Cum enim vix Madritum ingressus vidissem nostrum invictum Regem Philippum Quintum se personaliter accingi ad præliandum prælia nostra in Italiâ, tanto Regis mei exemplo, fidelis vassallus forti teneritudine commotus, supplex licentiam impertivi, vt tanquam miles libens militare permitterer in conspectu eius; quà licentia benignè concessâ, in Legione Neapolitana ex voluntate Regia adscriptus in cohorte Fundibulariorum, *Granaderos*, qui sunt ad omnia certamina primi, totum bellum sustinui propè Mantuam, præcipuè cõtra Oppidum forte, *Burgo forte*, & denique hinc, & illinc ad ripas Eridani, feci quod debui, obediens, si non validus.

10 Ad privilegium redeundo, & vt illud clarius luceat, vmbram argumenti iuxta ponamus. Officiales Regij possunt habere substitutos sui muneris, vt ex Escal. lib. 1. part. 2. cap. 19. vbi agit *de Tenientes de Oficiales Reales*, & tamen non possent suo muneri servire nisi per proprias personas, Solorzan. dict. fol. 1021. ibi:

Sino

Sino que los obliguen à que sirvan sus Oficios por sus personas: ergo à simili, quanquam Præfectus possit substitutum, aut vicarium nominare, non tamen poterit nisi per propriam personam suo muneri servire.

11 Respondetur facillimè: Primò, concedo antecedens, & nego consequentiá; Præfectus enim habet privilegium, quod Officiales Regij non habent. Secundò, distinguo antecedens: Officiales Regij possunt habere substitutos partiales, seu socios, concedo; totales, nego: ergo & Præfectus; &c. dist. si Præfectus solum posset nominare substitutum socium, concedo; si totalem, nego.

12 Magna est differētia inter vtrumque substitutum. Substitutus partialis est socius potius quā substitutus. Totalis solum propriè loco alterius statuitur. Aliud, ergo, est me posse assumere alium in socium mei laboris: aliud, me posse illi omnem meā curam illi commendare, & totum laborem in illum transferre. Primum, importat privilegium, levissimum: potius est miseratio, quam privilegium; & ille alius ad laborem ascitus, potius quam substitutus, socius est, & (vt quidam facetè) Cyrenæus illius crucis non relevans socium à pondere, cum personaliter debeat servire, & proprijs humeris muneris pondus baiulare. Secundùm, importat magnum privilegium, virtute cuius Præfectus potest totam suam curam alteri committere, manens omnino liber à cura exercitij.

13 Quod totum expresse probatur ex ipso Escal. ibi: *Regularmente està prohibido à todo genero de Oficiales nombrar substitutos, ò Tenientes; y para poderlos tener, se necessita de*

licencia, y permisso del Superior. Ergo est privilegium. Prosequitur: *Los Oficiales Reales, porque tuviessen mas ayuda en el cobro de la hazienda Real, especialmente en partes dõde no pueden assistir personalmente, sino faltando à la residencia mas precisa, y principal, alcançaron facultad de poderlos tener, y en virtud della, donde son inescusables, los tienen*. Ex quo clarè cognoscitur esse socios, seu substitutos partiales, non totales cum principales non liberentur, sed solum leventur.

14 Idem cum Præfecto observabatur ante privilegium, & observabitur cum alijs Præfectis privilegium tale non habentibus, qui solum poterunt socium nominare pro casibus necessarijs, lex 15. tit. 17. lib. 9. Novæ Recopil. Indiar. ibi: *Declaramos, que el Proueedor de la Armada, en caso de ausencia legitima, ò enfermedad, pueda nombrar persona, que haga su oficio*. Veytia lib. 1. cap. 22. num. 23. Quod est intelligendum de iure communi, non de speciali, seu privilegio.

15 Sciendum. Nominationem substituti totalis, quam Præfectus facere potest, vt pro se munus gerat, non esse independentem, sed Proregi subordinandam. Præfectus proponat, Prorex confirmet, ibi: *Siendo aprobado por mi Virrey de las dichas Prouincias del Perù*. Et rationi est cõsonum, quod certo ministerio certa & cognita proportionetur, & aptetur persona, & quidem omni adhibito examine, adeò vt si prima nominatio non approbetur, fiat secunda, tertia, & alię, vsque dum fiat in persona capaci approbatione digna, ibi: *Y que en el tal nombramiento podais, y puedan hazer vos, y los dichos vuestros sucessores vna, dos, y las demàs vezes que fuere*

necessario, basta hazerle en persona, que sea aprobada por el dicho mi Virrey.

16 Hoc privilegium nominādi substitutum totalem pro tempore absentiæ, vel aliùs dignitatis, ad alios multos casus extenditur, v.gr. si propter delicta in carcerem sit detrusus, vel ad Ecclesiam confugiat, ibi: *Assimesmo os concedo, y les concedo facultad, para que estando ausentes, ò presentes, retirados à sagrado, presos, ò en otra qualquier forma, podais, y puedan nombrar personas, que en vuestro lugar, y suyo exerça el dicho Oficio.*

17 Fieri etiam debet substitutio Præfecti in casu quo Præfectura perveniat ad filium minorē, vel ad mulierem non nuptam. Et hæc nominatio fieri poterit à patre testãte, vel fiet à tutore, seu curatore minoris, vel fœminæ: & si fœmina sit capax, & maior, potest per se substitutum nominare, vsque dum nubat. Hæc omnia expresṡis verbis patent, ibi: *Y es mi voluntad, que si despues de vuestros dias, ò de las personas que sucedierē en el dicho Oficio de Proueedor General, le huviere de heredar alguno, que por ser de menor edad, ò muger, no le pueda administrar, ni exercer, tenga facultad, como por la presente se la doy, y concedo, ò à los testamentarios del que muriere, y curador de los menores, y à la muger, siendo capaz de administrar su hazienda, para que qualquiera dellos, todas las vezes que sucediere el caso, puedan nombrar, y nombren persona, que sirva el dicho Oficio de Proueedor General, en el interin que el menor es de edad, y la muger se casa, y quitarle, y remouerle.* &c.

18 Hic potest dubitari: Vtrùm hi substituti posṡint à nominante removeri sine causa? Ratio dubitandi est, quia facultas Regia ad hanc nomina-

nationem faciendam habet clausulam expressam facultatis removendi ad nutum nominantis. Similem quæstionem tractavi suprà cap. 4. num. 6. pro Officialibus Præfecturæ: & quia ex illa, sufficienter hæc est decisa, in hac non immoror. Vnum addo, semper posse nominãtem pro nutu suo removere substitutum, quando ex remotione nihil patitur honor substituti, v.gr. substitutus nominatus ratione infirmitatis, vel levis absentiæ Præfecti, cessante infirmitate, vel absentia absque causa passim removentur. Et ad remotionem explicandam, sufficit, quod Præfectus subscribere instrumenta incipiat, quæ substitutus subscribebat; vnico isto actu remotus intelligitur: nam deficiente ratione legis, deficit & lex, leg. fin. ad Silan. leg. Si maritus, §. Scripsit ad leg. Iuliam, de adult. cum vulgatis.

19 Si autem minoritas, vel innubilitas, pro quibus talis substitutus fuit nominatus, subsistat, non poterit absque præcitato periculo removeri, quamvis Regia facultas concedatur ad remotionem ad nutum, ibi: *Con causa, ò sin ella*, & ibi: *Quitarle cada y quando les pareciere, à su voluntad*. Propter rationes à me suprà positas, quæ sunt fortiores pro his substitutis, quã pro illis Officialibus Præfecti; ex eo enim quod honoratiores personæ debeant esse substituti, quam Officiales, plus attendendum est honori illorum, quam istorum; & consequenter maius damnum inferretur substitutis, quã Officialibus, si sine causa deponerentur, leg. Si debitori, in fin. ff. de fideiussor. leg. Cui pacto, ff. de serv. export.

20 Insuper hoc Præfecti privilegium notabiliter extẽditur in eo, quod nullo

nullo modo teneatur ex mala electione substituti, quanquam stando iuri communi, & generaliter loquendo, eligens ex mala electione substituti teneatur pro eo, leg. Videamus, 11. in princ. ff. locati, leg. 5. tit. 18. part. 2. ibi: *Debe catar, que embie tal hombre en su lugar, que pueda, è sepa fazer todas aquellas cosas, que èl era tenido de fazer.* Vt cum pluribus tenet Larrea alleg. 39. numer. 12. cui consonare videtur; quod de nominationibus dictum est cum Solorz. supr. cap. 4. n. 19.

21 Probatur hoc privilegium ex Regia largitione, vbi expresse est cautum, & concessum, ibi: *Y que si las personas que le sirvierẽ en interin en qualquiera de los casos referidos, delinquieren en el exercicio del dicho Oficio, ayan de ser, y sean castigados en sus personas, y bienes, sin que à vos, ni à los dichos vuestros sucessores se os pueda, ni se les pueda hazer cargo de ninguna culpa, ò negligencia, que se les imputare, por el nombramiento que en ellos hiziẽredes, è hizieren.* Et cum voluntas Principis possit operari, & debeat interpretari, vltra ius commune, leg. Si quando, ff. de legat. 1. ad municipalem; inde est, quod in hoc casu vltra ius commune hoc operetur. Et quod Præfectus non teneatur ex electione; quia voluntas, & privilegium Principis est; esto quod de iure communi omnes eligentes ex mala electione teneantur.

22 Immò adhuc stando iuri communi, seclusa ratione privilegij, potest defendi Præfectum non teneri ex nominatione substituti à se facta. Ante probationes (& vt facili negotio intellectus convincatur) scias, vellim Præfectum non recipere Annonam Regiam, de qua curat, nec pecuniam pro Annona comparãda; quaprop-

propter ratiocinium non præstat (quod est summũ Præfecturæ privilegium.) Vnde sequitur, vt solum posit teneri ex delicto in exercitio sui muneris patrato, non verò ex pecunia, vel Annona vsurpata. Idem dicendum à fortiori de substituto.

23 Hoc supposito, Præfectum non teneri ex nominatione substituti, facilè probatur. Primò, quia fraus vnius alteri, quam illam committenti non nocet, leg. De Pupillo, §. Si plurium, ff. de nov. oper. nunciat. Secundò, ex leg. Apud eum, 7. de censibus, & censitor. lib. 11. vbi nemo debet se subiacere dispendio culpæ alterius. Tertiò, ex leg. vnic. Cod. de peric. eorum, qui pro Magistr. lib. 11. vbi fideiussores Magistratuum non tenẽtur pro delictis eorum, & pœnis correspõdentibus. Quartò, quia delictum debitoris augere non potest obligationem fideiussoris, leg. 2. Cód. ad Senatusconf. Turpil. Heringius de fideiuss. cap. 24. n. 175. Quintò, eadem resolutio defendi videtur à Giurba conf. crimin. 26. num. 84. dum affirmat nominatorem non teneri ad pœnam corporalem à nominato debitam, quam ex communi DD. certam & verissimam testatur. Ex quibus omnibus multa inferri possunt. Vnum sufficiat. Ergo si ad delictum, pœnamque delicto correspondentem non tenentur fideiussores, & multo minus nominatores (esto quod fideiussorum loco habeantur ex suprà notatis) sequitur, vt Præfectus non posit teneri, nec damno esse, per malam electionem substituti, non solum vi, & virtute privilegij id expresse concedentis, ibi: *Ni se les pueda hazer cargo por ninguna culpa, ò negligencia, q̃ se les imputare por el nõbramiento.*

Sed

Sed nec iure communi attento hanc necessitatem imponente omnibus, qui facultatem nominãdi habent, vt periculo eorum sit nominatio.

24 Ante quam hinc abeam, quærendum est. An gaudeat substitutus omnibus privilegijs, quibus Præfectus gaudet? Et quamvis Solorzan. lib. 5. cap. 6. in aliquibus pro negativa stet, certum est affirmativam esse veriorem. Eam defendit Alfaro de offic. Fiscal. glos. 31. num. 6. & glos. 28. n. 4. eamque ex iure communi certam probat leg. Suggerente, Cod. de offic. eius, qui vic. iud. ger.

25 Probatur. Quia subrogatus sapit, & induit naturam subrogantis, leg. Si eum, §. Qui iniuriarũ, ff. si quis caut. Barbos. in axiom. iur. litt. S. n. 56. qui plures refert. Videndus Stephanus Grac. in cap. 624. num. 9. & tom. 5. cap. 989. n. 23. Cumque substitutus subrogetur in locum Præfecti, vt certum est, dicendum videtur induere eamdem naturã, gaudereque omnibus privilegijs, quibus Præfectus gaudet, & gaudere debet nulla facta differentia. Polidor. Rippa observ. 250. Morot. cons. 49. num. 3.

26 Et licèt verum sit, supradictũ iuris axioma locum non habere in specialissimo privilegio subroganti concesso, vt tenet Azevedo in leg. 1. tit. 1. lib. 6. Novæ Recopil. num. 27. Girond. de privileg. seu exempt. numer. 1313. locum tamen habet in omnibus his, quę spectant ad eiusdem Officij exercitium, in quod sufficitur, & subrogatur, hæc enim non tangunt rationẽ specialissimi privilegij, sed communium privilegiorum.

27 Sed probationes extraneę superfluunt, cum ex meo diplomate, seu

titulo pateat, ibi: *Puedan nombrar persona, que en vuestro lugar, y suyo exerça el dicho Oficio todas las vezes que sucediere el caso. Y que la tal persona le sirva segun, y como lo aueis de poder hazer vos, y los dichos vuestros successores.*

28 Huic privilegio satisfaciendi Præfecturæ per substitutum multi vehementer invident, felicitatem in terris summam reputantes, immò & lucrum (in quo felicitatem terra ponit) posse Præfectum simul & eodem tẽpore vtraque manu, vel sua simul, & aliena duas dignitates possidere.

29 Respondeo, dicendo hanc invidiam esse imperitam legum prohibentium duplex stipendiũ vni homini. Addo. In hypothesi duplicis muneris minus lucrarer quam in vnius, v.gr. in Præfectura vnice occupatus integrum Præfecturæ stipendium percipio. At vero, si vltra Præfecturam, aliam occupationem Rex, vel Prorex iniungeret, stipẽdium huius secundæ non possem percipere propter leges prohibentes duplex stipendium: nec integrum Præfecturæ stipendium perciperem cum ex eo deducturus fuissem stipẽdium substituto dandum. Privilegium enim expresse prohibet stipendium à Rege huic substituto dari. Ergo tunc Præfectus non solum non gaudebit stipendio duplici, sed nec vno integro; cum stipendium Præfecturæ substituto cogatur applicare. Ad summum, eligere possem, quod vellem, ex duobus stipendijs, dummodo maneret vnicum, & diminutum ex parte substituto danda.

30 Quod in tali casu diploma concedit, est, posse Præfectum, vel tutorem minoris, vel curatorem innuptæ cum substituto cõveniri, & pacisci de

de stipendio illi tribuendo; ea tamen conditione, vt substitutus non nominetur in libris Regis stipendij (intellige quoad stipendium, quia quoad personam, scribi & nominari debet, ac si esset ipse Præfectus.) Integrum autem stipendium nomen Præfecti sequatur, vel minoris qui Præfectus futurus sit. Ecce verba: *Y que en qualquiera de los casos de no exercer el dicho Oficio los dueños de la propriedad del, se puedan convenir assi ellos, como sus testamentarios, tutores, y curadores de los menores, y la muger, si fuere capaz para hazer el nombramiento con la persona, ò personas, que sirvieren el dicho Oficio, en quanto à la recompensa que les huvieren de dàr por la ocupacion que tuvieren con el exercicio dèl, en la cantidad, ò cantidades, que quisieren, sin que por ello incurran los vnos, y los otros en pena alguna. De suerte, que perpetuamente se ha de acudir à los que fueren dueños proprietarios del dicho Oficio con todo el salario, y emolumentos à èl anexos.*

31 Magnum aliud meæ Præfecturæ privilegium, mihi suprà omnia charum, est, esse perpetuam, & descendere debere in posteros meos, & non solum iure hereditario, sed iure sanguinis. Ita diploma: *Y muriendo vos, ò la persona, y personas, que os sucedieren en el dicho Oficio, sin disponer, ni declarar cosa alguna en lo tocante à èl, aya de venir, y venga à la persona que tuviere derecho de heredar vuestros bienes, y suyos.* Vnde hoc meum munus reputari debet vt maioratus, & eisdem metiri regulis, licèt nondum formaliter maioratus sit. Spero futurum. Totum mihi est concessum Regia benignitate, ibi: *Y queriendo vos, ò la persona, ò personas, que sucedieren en el dicho Oficio de*

G 2 *Pro-*

Proueedor General, vincularle, ò ponerle en mayorazgo, assimismo os doy facultad à vos, y à ellos, para que lo podais, y puedan hazerlo con las condiciones, vinculos, exclusiones, reservas, llamamientos, pactos, y prohibiciones, que quisieredes, y quisieren; y desde luego os doy licencia, y facultad para ello, aunque sea en perjuizio de las legitimas de los otros vuestros hijos.

32 De primogenijs, vel maioratibus interDD. exagitatur. An descendat ad successores iure hereditario, vel iure sanguinis? Hanc quæstionem pertractat Molina lib. 1. cap. 8. & eam cum distinctione resolvit: ita vt primus successor dicatur succedere iure hereditario; reliqui autem iure sanguinis, vtpote qui debent admitti quamvis non sint instituti heredes ab vltimo possessore. Quod in fœudis probat text. in cap. vno, in ptinc. de successione fœudor. ibi: *Nulla ordinatione defuncti in fœudo valente, seu manente*, leg. Irritum (& ibi Scribentes) Cod. ad leg. Falcid. leg. Si te solum, §. 1. ibi: *Quia satis plena fuit prima institutio*, leg. Si servo fideicommissaria, ff. de hered. instit. Anton. Gomez in leg. 40. Taur. num. 80. & quos citat Molin. d. cap. 8. n. 20.

33 Idem dicendum de hac Præfectura. In statu enim præsenti, in quo nondum est maioratus, succedent iure hereditario; postquam autem primogenium fuerit stabilitum, succedent iure sanguinis, non attenta institutione heredis, sed filiatione; ita ex Baldo in leg. Cum antiquioribus, col. 5. Cod. de iure deliber. & patet ex titulo, ibi: *Aya de venir, y venga à las personas que tuvieren derecho*, &c.

34 Inde est, quod cum persona succedens iure sanguinis, sit certa, & de-

determinata, nec dependeat ab electione antecessoris, nec requirat aditionem hereditatis, nunquam dabitur hereditas iacens, nec spatium temporis, in quo Præfectura sine persona, vel Præfecto esse intelligatur; semper enim adest, nempè propinquior. Vnde & stipendium Præfecti nunquam sistit; sed de vno ad alium per momenta transfertur, ibi: *Y que se os acuda, y à ellos en su tiempo con los dichos 900ij. marauedis de salario, que tocan al dicho Oficio, pagandoseos, como hasta aqui se ha hecho, continuandose à vnos, y otros la paga de los dichos salarios, y emolumentos perpetuamente, sin interpolacion alguna.*

35 Solum posset non certiorari persona in casu alicuius impedimenti extrinseci, v.gr. quia persona iure sanguinis vocata esset impotens exercitij, vel quia fœmina, vel quia minor; sed cum vtrumque sit dispensatum, adeò vt possit per substitutum adimpleri, ex his capitibus nunquam poterit dari detentio in solutione, seu temporis spatium, quo nõ debeatur stipendium.

36 Notandum. Adeò firmum, & ineluctabilem esse modum intrandi iure sanguinis, vt si ab vltimo possessore maioratus vocetur (adhuc in testamento) alius, illo omisso, cui iure sanguinis debetur, sit nullius momenti talis institutio. Ita omnes præcitati Authores cum Molina num. 20. ex dict. leg. Si servo fideicommissaria, de hered. inst. ibi: *Qui enim invito defuncto poterat libertatem extorquere, non magnum à defuncto videtur beneficium consequi, immò nihil commodi sensisse, sed debitam libertatem accepisse*, cum non iam iure hereditario, sed sanguinis in secundos possessores deferatur primogenium, seu maioratus.

Visa

37 Visa iam prima parte privilegij Præfecti, quod scilicèt posit Præfecturam vinculare, & in primogenium erigere, inquiramus de secunda: An posit hoc facere in præiudicium aliorum filiorum, seu eorum legitimã? Respondeo: Vel maioratus instituitur absque Regia facultate, solum lege Regia, vel cum Regia facultate. In primo casu, nõ tenet institutio maioratus vltra tertiam & quintam partem, & legitimam filij ad maioratum vocati, & specialiter consentientis in parte suæ legitimæ. Ex doctrina legis Sancimus, Cod. de donat. leg. Generali, §. Vxori, vers. Si quid autem, ff. de vsufr. legat. leg. Qui quartam, ff. de legat. 1. leg. Si mihi & Titio, §. 1. ff. de legat. 2. leg. 7. tit. 12. lib. 3. for. ibi: *Y si mas diere, no vala la donacion en aquello que es mas; è vala en aquello que puede dàr.* Leg. 26. Taur. *aliàs* leg. 10. tit. 6. lib. 5. Novæ Recop. ibi: *E si de mayor valor fuere, mandamos, que vala hasta en la quantidad del dicho tercio y quinto, y legitima.*

38 Si autem in hoc primo casu pater voluerit lege Regia sine Regia facultate maioratum instituere vltra tertiam, & quintam partem, & legitimam filij, in cuius favorem maioratus erigitur, debet esse & fieri omniũ filiorum consensu, & quidem iuramẽto confirmato, immò & post has cautelas non firmiter fundaretur, sed maneret pluribus, & non modicis periculis obnoxius maioratus; vt advertit Molina lib. 2. cap. 3. ad quem mitto Lectorem. A meo enim proposito hæc disputatio videtur distare.

39 In secundo autem casu, quando scilicèt maioratus Regia facultate instituitur, institui potest ex omnibus bonis. Ita Mo-

Molina de primogen. lib. 2. cap. 10. num. 15. quãquam aliàs prohibita sit ex omnibus bonis abdicatio, vtpote liberam testandi voluntatem infringens; Princeps tamen potest hoc permittere, cum possit iuribus contrarium disponentibus derogare, quæ derogatio necessario sequitur ex concessione erectionis maioratus ex omnibus bonis; adeò vt non sit necessaria specialis derogatio iurium contrarium disponentium, leg. Quidam consulebant, ff. de re iudicata, leg. Idē Vlpianus, §. fin. de excusat. tut. Cum Principis voluntas aliquid vltra ius commune debeat operari, vt dictum est ex leg. Si quando, ff. de legat. 1. leg. 1. Ad municipalem. Aliàs frustra precibus impetraretur quod iure communi fieri posset, leg. 1. Ad municipalem, leg. Imperatores, de privileg. credit. Ex quo deducitur, quod cum hæc Præfectura gaudeat facultate Regia, vt possit in aliorum filiorum legitimarū damnum, & nocumentum in primogenium erigi, ibi: *Aunque sea en perjuizio de las legitimas de los otros vuestros hijos.* Possit etiam de toto stipendio tale primogenium erigi.

40 Adeò necessaria est hæc Regia facultas ad hoc, vt maioratus possit institui de omnibus bonis, aut saltim de bonis excedentibus tertiā, quintam, & legitimam filij instituti, vt requiratur hæc Regia facultas ante maioratus fundationem; taliter vt ipsam institutionem realiter præcedat: adeò vt post institutionē maioratus superveniens approbatio, aut facultas Regia pro institutione maioratum sine facultate erectum stabilire non possit, nec sufficiat; cum id, quod pro forma, vel solemnitate requiritur, debeat

beat actum præcedere, & forma subsequẽs nequeat valorem dare actui invalido ob defectum formæ, quæ præcedens desiderabatur, leg. Si quis mihi bona, §. Iustum, ff. de acquir. heredit. Baldus in leg. Comparationes, 33. in fin. Cod. de fide instrument. Cum actus gestus contra formam à lege requisitam nullus sit, Baldus in leg. Humanum, num. 3. Cod. de legib. Tiraquel. de retractat. lignagier, §. 36. gloss. 2. num. 26. & de retr. convent. §. 4. glos. 6. num. 51. & Molin. (qui plures citat) lib. 2. cap. 7. à num. 2.

41 Confirmatio namque superveniens, si ordinarie, & in forma communi expeditur non validat id, quod ex se nullum est, sed solum actui valido robur addit, vt notat Spec. tit. de legat. §. Nunc ostendendum, vers. 11. n. 8. Alex. cons. 123. n. 18. & alij, quos num. 7. tradit Molina. Solum autem roborabitur actus ab initio invalidus, quando ex certa scientia, specialique approbatione confirmatio, seu potius validatio præstatur; vt videre est apud Molin. num. 8. Sed satis de hoc ad meam Prefecturam non necessario, eo quod nondum erectã in maioratum, Regia facultate ad erectionem à principio gaudeat.

42 Non solum autem desideratur Regia facultas, vt possit institutor pater excedere valorem tertij & quinti, quod illi à iure permittitur vt institutio sit valida, sed etiam ad hoc, vt possit maioratum instituere adhuc in tertia parte vnico solum filio existente. Ratio est, quia cum patres non possint in legitimis filiorum gravamen superaddere, eo quod filij debeant absque gravamine legitimas suas recipere, vt constat ex vulgatis, inde est, quod nec

nec respectu tertiæ partis institutio maioratus ita gravantis teneat; cum omnia bona filiorum sint excepto quinto, leg.9.tit. 5. lib. 3. for. & talis tertia pars legitima vnici filij sit.

43 Dices: Patrem posse ex tertio maioratum instituere, iuribus hoc ei permittentibus, dict. leg. for. leg. 27. Tauri, quæ est lex 11.lib.6.tit.5.Novæ Recopil. & ex suprà dictis. Respondeo hoc intelligi, quando sunt plures filij, inter quos potest pater electionem facere; quia tertia pars, quamvis sit legitima, tamen est libera, & gratiosa applicabilis vni filio potius, quã alijs pro libito patris; & ratione huius electionis, quam pater habet, habet etiam ius ad gravamen adijciendum filio, cui gratiam facit. Ast quando vnicus est filius, non datur hæc electio patri, quia talis tertia pars est legitima illius necessaria, & non electiva, nec gratiosa; ex quo à contrario sensu sequitur, vt non possit ei gravamen imponi, cum solum imponi possit parti gratiosæ: ergo nec gravamen maioratus potest ei apponi, nec fideicommissi, nisi expresse ipsemet consentiat gravamini. Quod quibus modis accidat, quære Molinam lib. 2. cap. 2. num. 11. & lib. 2. cap. 11.

44 Est etiam necessaria hæc Regia facultas ad hoc, vt institutor possit vocare, quos voluerit, ad maioratum; alioquin solum vocare posset, eos qui vocati existunt, leg. 27. Tauri, quæ est lex 11. tit. 7. lib. 5. Nov. Recop. coactus ad sequẽdum ordinem præscriptum. Sic Molina dict. cap. 2. num. 11. vers. Secunda difficultas, & dict. cap. 11. à num. 11. vbi copiosè materiam tractat. Ratio est, quia virtute prædictæ Re-

giæ facultatis filius censetur extraneus, Bartol. in leg. 1. §. Sciendum, num. 3. de suis, & legitim. Baldus in leg. Maximum vitium, num. 22. Cod. de liber pret. Tiraquel. de primogen. quæst. 43. num. 15. adeo vt & si prætereatur talis filius à patre, non posſit contratabulare, nec arguere institutionem, nec dicere testamentum paternum nullum, vt omnes præcitati affirmant: atqui reſpectu extraneorum nullus ordo datur, iuxta dict. leg. 27. Tauri: ergo in institutione maioratus Regia facultate erecti, non debet ordinem ſequi institutor, vel (vt melius dicam) poterit non ſequi ordinem dict. leg. 27. Qui de hoc plura deſiderat, adeat Molin. in dict. loco.



CAP. VII.

De non confiſcatione Officij Præfecti niſi per tria delicta læſæ Maieſtatis, hæreſis, & peccati nefandi.

1 PRimo aſpectu ſupremam gratiam condonatam Præfecturæ fuiſſe videtur, dum nõ ſequeſtrari, nec in Fiſcum cadere quavis occaſione, aut delicto iubeatur, niſi ex his tribus maximis delictis; quę, cum rariſsime, aut (Deo iubante) nunquam accidant, videntur perpetuitatem ſaltim negativè Præfecturæ afferre, & Regiam facultatem quis non diceret ſumme in hoc favere, & ſuprà ius commune, diuturnitati per hoc conſulere, & Præfecturam vltra ſolitum, protrahere?

2 Dico breviter. Hæc Regia facultas partim derogat, partim indulget. De-

Derogat diuturnitati Præfecturæ. Probemus hanc partem. In hypothesi Regiæ facultatis Præfectura potest finiri in casibus triũ delictorum, quæ licèt difficilia, quia horribilia, possibilia tamen sunt fragilitati hominum. In hypothesi autem legis Regiæ, quando scilicèt erigitur maioratus ex lege communi Regia, & non ex Regia facultate non perditur, aut confiscatur maioratus adhuc per tria crimina: ergo plus diuturnitati maioratus consulitur instituendo illum ex lege Regia communi, quam ex facultate Regia particulari.

3 Quod in hypothesi facultatis Regiæ cadat in Fiscum maioratus propter tria delicta, est extra dubium, vt ait Molin. dict. lib. 4. cap. 11. num. 63. Et ratio est, quia in his Regijs facultatibus hæc clausula fieri semper apponitur, vt in mea Regia facultate constat, & qui ea vtitur, subijci videtur eius conditionibus, & illud onus semel ab institutore admissum à successoribus admitti debet; cum res vadant cum suo onere ad quemcumque, leg. Is, cui novum, 23. ff. de nov. oper. nunciat. Valasco axiomat. litt. R. numer. 76. Et licèt Molina num. 64. disputet. an casu quo hæc crimina non sunt expressa in Regia facultate, debeant censeri expressa, ad hoc, vt propter hæc crimina confiscari valeant, hanc disputationem relinquo, vt meæ Præfecturæ otiosam, cum illi obstet expressio iam relata, vt scilicèt ob tria delicta Fisco applicentur.

4 Quod autem in secunda hypothesi, instituti, scilicèt, maioratus ex legibus Regijs communibus, & non ex Regia facultate non cadat in Fiscum nec propter tria delicta. Probatur primò.

Iura, quæ transire non possunt in heredem extraneum, transire nõ possunt in Fiscum ex confiscatione, leg. Eorum, ff. ad leg. Iul. Maiestat. quapropter iura libertorum à confiscatione libera inveniuntur, leg. Iura libertorum, ff. de iure Patron. Sic similiter & fœuda antiqua, quæ ad extraneos transire non valebant, nec ad Fiscum eadem ratione ex confiscatione valebant transire, cap. Imperialem, §. Illud quoque, de prohibit. fœud. alienat. cap. si vassallus, si de fœud. fuer. controv. vbi confiscatis bonis vassalli, non confiscatur fœudum, sed transit ad agnatos, Bartol. in leg. 3. ante numerum primum, ff. de interdict. & relegat. Angelus in leg. Insulam, ff. soluto matrimon. Alexander, Decius, Hyppolitus relati à Molina dict. lib. 4. cap. 11. num. 2. & 3. & 32. Cumque primogenium lege Regia statutum ad extraneos heredes transire non valeat, vt certum est ex dict. leg. 27. Tauri, inde est quod ex confiscatione in Fiscum trãsire nequeat.

5 Huius regulæ generalis duas limitationes affert Molina dict. cap. 11 num. 39. quarum vna est hæc: *Nisi bona ex quibus primogenium erigitur ab ipso Principe donata sint.* Et quamvis appareat posse hanc limitationem Præfecturæ meæ applicari, certiùs est non applicari, sed Præfecturam deberi mensurari regula generali, & non limitationis, quod clarius explicaretur, si opus esset. Nihil, igitur, operante prædicta limitatione contra Præfecturam, doctrina supradicta generalis mente tenenda est.

6 Secundò probari potest ex ipso Molina dict. cap. 11. num. 33. ex leg. 3. tit. 2. part. 7. ibi: *Y si su heredero no lo pudiere* de-

defender, ni salvar con derecho, debe el Rey juzgar el muerto por infamado de traycion, y mandar tomar al heredero todos los bienes que hovo de parte del traydor. Ex quibus verbis à contrario sensu sic arguit: Ergo ea bona, quæ à patre proditore non habuit, non sunt Fisco adijcienda; sed huiusmodi sunt primogenia, quæ non à patre (fortè reluctante) sed ab institutore habere debet: ergo non sunt Fisco adijcienda, nec ob crimen læsæ Maiestatis, &c. Et in hanc sententiã coincidunt Baldus, Probus, & alij relati à Molin. dict. num. 34.

7 Et ratio rationis est, quia confiscare maioratum idem est, ac auferre delinquenti non solum, quod ipse habet, & possidet vt suum, sed etiã alienum; tale quippè est primogenium, cuius non dominus, sed vsufructuarius intelligitur, quapropter non habet in bonis primogenij dominium directum, sed vtile.

8 Ex hoc etiam sequeretur aliud absurdum de natura in iustitię, quod scilicèt pœna caderet, nõ solum in delinquentem, sed & in alios, qui non delinquerunt, & ad primogenium iam vocati existunt; cum propter incapacitatem successoris primogenium devolvatur ad immediate sequentem in gradu, leg. 1. Cod. de hered. instit. & notat Bartol. & reliqui Scribentes ad leg. Hereditas, Cod. de his quib. vt indign. cum incapax pro mortuo reputetur, leg. 1. §. Sed si Patronus, de coniung. cum emancip. liber. leg. Si necem, §. Deportatus, ff. de bon. libert. cũ alijs, quæ tradit Molin. de primog. lib. 1. cap. 9. num. 27. & cap. 13. num. 69.

9 Vnde merito Molina cap. 2. lib. 2. n. 10. quæstionẽ suscitat: Vtrùm vti-

vtilius sit maioratum instituere Regia facultate præcedente, an sine ea? Pro hac secunda parte refert aliquos his verbis: *Communiter hucusque omnibus persuasum fuisse firmiorem, vtilioremque esse eam primogeniorum institutionem, quæ absque Regia facultate sit, quam eam, quæ Regia facultate præcedente facta fuerit*. Quibus ipse Molin. adhærere videtur, licèt in aliquibus discrepet, vt constat ex num. 11. vers. Potest etiam.

10 Resolvo breviter cum distinctione. Si instituens vult attendere diuturnitati, longiorique durationi consulere, melior videtur, & diuturnior institutio absque Regia facultate, quam cum illa, ex dictis; quia nempè maioratus institutus Regia facultate confiscatur per tria delicta, quia sic Rex voluit, à principio hanc conditionem, quam potuit apponere, facultati ingerendo. Non autem confiscatur adhuc per tria delicta maioratus institutus legibus communibus Regijs propter rationes suprà à me relatas.

11 Quoad alia verò, vtilior immò & necessaria est Regia facultas ad instituendum maioratum, v.gr. in casu plurium filiorum, vt legitimæ aliorum possit lædi: & in casu vnici filij, ad hoc vt possit gravare legitimam, & tertiam partem, quæ tunc non est gratiosa, sed necessaria, & debita.

12 His breviter adumbratis, vel cognitis, eadem brevitate resolvendæ veniunt aliquæ quæstiones, quæ Præfectum manu ducere possunt ad firmiorem Præfecturæ in maioratum institutionem, vt suo iure vtatur, & sufficienti notitia habita, si omnia non calleat, præcipua non ignoret, & ignorans non erret; ne accidat ei, quod di-

dicitur in leg. Si Titius, 48. ff. de fideiuſ.ibi: *Cum ſcire potuit, aut ignorare non debuerit.*

13 Quæres primò. Vtrùm habens Regiam facultatem ad maioratus inſtitutionẽ, poterit eam iure communi facere? Reſpondeo, non ſolum poſſe, ſed ſi nullam mentionem de Regia facultate facit, inſtitutionem factam cenſeri debere legibus Regijs, non autem Regia facultate. Probatur primò. Quotieſcumque ius commune, & priuilegium concurrunt ad eundem effectum conſequẽdum, in dubio cenſendus eſt effectus ex iure communi, & non ex ſpeciali procedere, leg. Quanquã, Cod. de teſtam. milit. leg. In teſtamẽto, la primera, Cod. eodem, & tenent omnes Scribentes ad dictas leges, & Alexander conſ. 55. lib. 3. num. 6. Cumque Regia facultas priuilegium ſit, ex notatis, inde eſt, quod concurrente cum iure communi, hoc eſt, legibus Regijs, in dubio pro legibus Regijs ſtandum ſit in maioratuum inſtitutione.

14 Confirmatur primò. Ex eo quod tradit Angel. in leg. Voluntate, ff. quibus mod. pign. vel hypot. ſol. num. 3. quando actus à principio poteſt fieri cum conſenſu alterius, in dubio, non præſumitur ille alter adeſſe: ergo quamvis poſſet maioratus inſtitutus intelligi cum Principis conſenſu, in dubio tamen non præſumitur ille Principis cõſenſus adeſſe. Confirmatur ſecundò, quia fruſtra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, leg. 1. ad municip. leg. Imperatores, ff. de priuileg. credit. leg. 1. Cod. de theſaurar. lib. 10.

15 Probatur ſecundò. Quoties dubium verſatur de aliqua re, at eius valore, ſemper cenſetur facta

facta res eo modo, quo maiorem vim,& securitatem habeat, leg.3. de testam. milit. leg. Tutor,§. Quæ, de tutoribus, ff. de excusat. tut. leg.Cum pater, ff. de iure dotium, cap. nisi essent,1. de Præbend.Greg.Lopez in leg. 6. tit. 12. part. 6. verb. *Que no la pudiesse vender*, col. 2. Vnde cum ex dictis satis liquidò constet institutiones maioratuum maiorem vim lege Regia habere,Molin.cap. 2. num. 10. in fin. saltim quoad confiscationē per tria delicta, consequens est, vt non solum posſit Præfectus libenter lege Regia instituere, omissa Regia facultate; sed, si non exprimit se velle Regia facultate vti, instituere censeatur lege Regia, non autem Regia facultate.

16 Quæres secundò. An qui pro instituendo maioratu Regiam facultatem habet, posſit ea vti quoad aliqua, & non quoad omnia? Ab omnibus responsum invenio pro affirmativa, vnanimiter asserentibus institutorem gaudere hac facultate, vel præcisione, Molin. dict. cap. 2. num. 11. in princ. & vers. *Potest etiam*, ibi: *Potest etiam maioratum ex Regia facultate instituens, profiteri se vti iure communi, & Regia facultate ex pacto, quo melius eius dispositio conservari possit, prout consulit Greg. Lopez in leg. 6. tit. 11. part. 6. in glos. verb. Que no la pudiesse vender, col. 3. ad finem.*

17 Ex his paucis, satis absoluta manet hæc materia, ad hoc, vt volens erigere Præfecturam in maioratum, sciat, quid ab eo reijciendum, quidve sumendum sit, vt omnem posſibilem subsistentiam, & diuturnitatem Præfecturæ iuste tribuat, cum leges hoc ei permittant,& quod legibus permit-

mittentibus fit, iustè fieri censetur, leg. Quis sit fugitivus, §. Apud labeonē, ff. de ædilit. edicto, cap. quid dicam, 14. quæst. 4. Pichardus ad rubricam instit. de inofficios. testam. num. 9. quapropter nec pœnam meretur, leg. Grachus, Cod. ad leg. Iul. de adulter. §. Iniuria instit. ad leg. Aquiliam, Tuschus litt. P. conclus. 208. Stephan. Grac. discept. for. tom. 5. conclus. 960. n. 15.

CAP. VIIJ.
De Emolumentis.

An Præfectus possit ratione emolumentorum aliquid accipere propter instrumenta, quæ ab eo conficiuntur.

1 DUm sermonem instituo de emolumentis, non loquor de donis à partibus involuntariè præstitis, & ferè extortis propter debiti anticipatam solutionem, de quibus lib. 3. dicam; hæc enim illic reprobabo, & nunc reprobo eo quod ex omni parte furti naturam sapiant. Videndus Vazquez de restitut. cap. 7. dub. 7. num. 64. Rebel. lib. 18. quæst. vlt.

2 Nec loquor de illis donis, quæ ab aliquibus expostulantur ratione non retardatæ solutionis, aut ratione emptionis instrumētorum. Quod Azevedo ad leg. 15. tit. 16. lib. 9. novæ Collect. Castellæ *Barateriam* vocat, & ipsa lex *cohecho*, & concordat lex 19. eodem tit. & lib. & lex 20. tit. 11. eodem lib. 9. Nam in his baraterijs expressum furtum continetur (quidquid dicat Torrecilla resol. moral. tract. de iustitia) remanentque taliter operantes restitutioni obnoxij, vt ex ipsis legibus patet. Illisque imponitur pœna septupli, quæ infamiam irrogat propter furtum annexum, quod ipsa pœna indicat, leg. 2. lib. 4. for.

legum. Adeò, vt fit idem, pœnam ſeptupli alicui imponi, ac illum latronem, & furem declarari. Avilès relatus à Larrea alleg. 39. num. 9. Bobadilla lib. 5. Politic. capit. 1. num. 233. vſque ad 236.

3 Idem ſentio de his, qui quovis colore, aut prætextu à partibus aliquid recipiunt, vel eripiunt, licèt voluntariè ereptum dicant, argum. legis 21. tit. 11. lib. 9. Novæ Recop. A quibus omnibus caveat Præfectus, cum ex Ovidio lib. 1. amor. eleg. 10.

Non habet eventus ſordida præda bonos.

Et Claud. *Quas male collegit fallacis dextra Parentis,*
Has primi Nati dextra refudet opes.

Et Senec. trag. in Mœd. act. 1. *Quæ ſcelere parta eſt, ſcelere relinquitur domus.* Et D. Greg. ad Reg. Franc. *Crede mihi, quod cum peccato congregatur, cum peccato perditur.* Cardin. Tuſch. litt. M. num. 25. De his, vnquam, non loquor, ſed ſuppono Præfectum ſciẽtem, hæc omnia peccatum imbibere, proptereaque illa, ſicut & iſtud omnino fugienda. Solum quæritur de eo, quod à partibus præſtatur tanquam emolumentum, Hiſpanicè *Derechos del deſpacho.*

4 Ratio dubitandi deduci poteſt ex ipſo diplomate, ſeu titulo Officij Præfecti, poſtquam enim Rex aſsignat Præfecto ſtipendium ſui muneris, addit: *Del eſtipendio, y los emolumentos à èl anexos.* Ex quibus verbis deduci videtur Præfectũ emolumentis vltra ſtipendium gaudere: ſed hæc emolumenta nequeunt aliunde capi niſi ratione inſtrumentorum, quæ in favorem venditorum cum Præfectu contrectantium ab ipſo Præfecto præſtantur, & fiunt,

ti-

titulo, vel laboris Præfecti in subscribendo, vel Officialium Præfecti in ipsa instrumentorum confectione: ergo ex hoc titulo aliquid à partibus potest recipere Præfectus immò & eius Officiales.

5 Hac tamen ratione dubitandi, non obstante, dico: Præfectum non posse ratione emolumentorum aliquid à partibus recipere: & si de facto recipit quantitatem sufficientem ad furtum, teneri ad restitutionem in foro interno, & in foro externo ad dictarum legum pœnam, nempè septupli, quæ (vt dictum est cum Larrea, & Bobadill.) infamiam irrogat, & furtum denotat.

6 Probatur prima pars. Quia emolumenta, quibus gaudent, & gaudere possunt omnes aliquod Officium exercentes non consistunt in mera ipsorum voluntate, sed in Regia taxatione, quam *Arancel* vocamus; tunc enim solum sunt debita, quando sunt ex Regia voluntate præscripta; sed nulla Regia constitutio, seu taxatio reperitur, immò contraria statim ostẽdetur: ergo &c. Prob. minor. ex leg. 1. tit. 34. novæ Collect. Castellæ in final. verb. ibi: *Los dichos Proveedor, Juez, ò Comissario, no ayan de llevar, ni lleven de las dichas Ciudades, Villas, y Lugares de estos nuestros Reynos, donde se hizieren las dichas sacas, ni à las personas particulares, de quien se sacaren el dicho trigo, cevada, ò bastimentos, cosa alguna, ni por via de salario, ni de derechos, ni por otra causa, ni razon*. Ex quibus verbis satis apertè constat non solum non dari in favorem Præfecti aliquam saltim probabilem rationem ad emolumentorum exactionem, & receptionem, sed expressam, & contrariam Regiam ordinatio-

nem, vt non solum non quiescat qualiquali, etsi obumbrata iustitia, sed prohibita, & indebita acceptione vtatur.

7 Secunda pars patet. Supposito enim quod iniquè recipiat, liquidum manet teneri ad restitutionem, si quantitatem ad furtum sufficientem recipiat. Ita omnes Moralistæ, & in ipsis emolumentorum terminis Vazquez opusc. moral. de restit. cap. 7. dub. 9. num. 53. & 54. Cum sit certum teneri ad restitutionem omnem indebitè accipientem, quamvis ipse credat eum à quo accepit invitum non esse. Cui adaptari potest illa satis in praxi trita quæstio: An Iudex posit pro sententia iusta dona recipere? Cui vnanimiter omnes respōdent non posse, & ad restitutionem teneri, quamvis libenter illud donum fuisset oblatum: ergo &c.

8 Probatur tertia pars de foro externo, ex cap. 1. ex capitulis Prætorum relato à Larrea dict. alleg. 39. num. 9. ibi: *Ni lleuaràn, ni consentiràn llevar à sus Oficiales mas derechos de los que en el Arancel de aquella Ciudad, ò Prouincia que es à su cargo, fueren puestos; so pena que los pague con los setenos, aunque diga, que no lo supieron.* Ergo deductio emolumentorum extra, suprà, vel præter Regiam permissionem, vel *Arancel* punitur pena septupli; sed hæc pœna, ex supradictis, solum imponitur, quando furtum committitur (ideo namque irrogat infamiā:) ergo quando extra Regiam permissionem aliquid deducitur emolumentorum colore, adhuc in foro externo furtum declaratur.

9 Ad rationem dubitandi ortam ex illis verbis: *Y los emolumentos à èl anexos*. Respondeo hanc clausulā in omnibus ferè Re-

Regijs largitionibus poni quasi conditionatam, seu in vi conditionis, vt si fortè sint emolumenta præscripta, vel assignata, possint capi & peti, sicut è contrario, si non sint præscripta, nec peti nec capi. Quando autem dubium fuerit an sit posita emolumentorum præscriptio, cum hæc res sit res facti, & facta non possint præsumi, nisi probentur leg. In bello, §. Facta, de captiv. & postlim. reverſ. Velasco litt. F. n. 25. inde est, quod si à Præfecto, aliove Ministro instrumenta conficiente nõ probetur, vel exhibeatur emolumentorum præscriptio, non possit, nec debeat præsumi emolumenta præscripta esse, ipso Ministro ad imponenda emolumenta non sufficiente.

10 De hoc puncto plerumque constat ratione illius iuris, seu exactionis Regiæ, quæ nuncupatur *Media annata*. Hæc enim deducitur non solum habita relatione ad stipendium, sed ad emolumenta percipienda, vel percipi solita à persona, in cuius favorem Officium cedit. Si ab ea verificatur emolumenta non adesse, exactio dimidiæ annatæ non debetur: debetur autem quãdo apparet emolumentorum præscriptio, vulgò *Arancel*.


11 Cumque in mea Præfectura non inveniatur emolumẽtorum præscriptio *Arancel*, nec Præfectus propria authoritate illa stabilire queat, nec ex dimidia annata possint colligi ex, eo quod hoc Officium vtpote Militare, privilegio non solvendi dimidiam annatam gaudeat. Ex his omnibus motus, resolutioni prædictæ firmus adhæreo asserens Præfectum nõ posse emolumenta, seu iura propter instrumenta ab ipso conficienda recipere.

Hæc

12 Hæc resolutio contra Præfectum, Præfectique Officiales derivanda venit etiam ad alios inferiores Ministros idē Præfecturæ negotium contrectantes. Propter vulgare iuris axioma: *Vbi datur eadem ratio, dari debet eadem iuris dispositio*, leg. 1. Cod. de Sacrosf. Eccles. §. Pari ratione instit. quibus modis ius patr. potest. solv. §. Si igitur inst. quod cum eo. Præsertim quando in Præfecto maior ratio, & fundamentum fortius dari deberet ad emolumenta percipienda, quam in alijs Ministris, nempè maior labor, & activitas; ipse enim instrumentum conficit, & subscribit, cōventionem facit de pretio cum venditoribus, ordinationem in scriptis præstat, & Susceptori Generali mittit, vt mercem suscipiat, & susceptam referat, ipse etiam mandatum solvendi præstat Thesaurario Militari, vulgò *Pagador* (vt posteà dicam.) Cæteri autem Ministri hoc negotium tangentes, levius illud tangunt aliquali interventu, notando scilicèt *acceptum* susceptoris, & *datum* Thesaurarij. Cumque maior ratio minorem includat, cap. causam quæ, de re iudic. §. Si vero inst. de adopt. auth. cessante, Cod. de legit. hered. Hinc necessario sequitur, quod si Præfectus ratione emolumentorum nil potest percipere, nec reliqui subalterni Ministri quavis ratione, aut colore illa percipere valebunt.

*** *** *** *** *** ***

LI-



LIBER SECUNDUS, DE OFFICIO PRÆFECTI ANNONÆ.

DE ANNONA.

CAPUT PRIMUM.

Quid, & quotuplex sit Annona?

1 ANnona aliquando sumitur pro frumento. Sic Interpretes legunt *legem* 1. *de frum. verb. Const. lib.* 11. & *tot. tit. de exca-ctione, & translat. annonar.* Sic intelligendus est Cicero *epist. famil. Ter. & Iuliæ*, ibi: *Fundo Arpinali bene poteris vti cum familia vrbana, si Annona carior fuerit*, vbi exponunt ibi: *Annona*, id est, *frumentum*.

2 Annona in latiori significato accipitur pro omnibus alimentis, quæ ad annuum victum reponuntur. Cicer. *lib.* 2. *de Divinat. Putabam Annonam in macello cariorem fore.* Colum. *lib.* 9. *Vel lactis Annona permittit*: itaque ab aliquibus etymologia texitur, ac si Annona sit *alimentum annuum*; ita cũ Accurs. Claud. Cotereus

de

de re militari. Quintilian. Mand. *in Annal. num.* 56. Card. Tusch. *conclus.* 338. qui refert Decian. *tract. crim. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *tit. de defraudantibus Annonam*, adeò vt contineat panem, vinum acetum, lardum, carnes, paleas, fœnum, & omnia vsualia, quæ ad mensuram, vel pondus venduntur, Castr. *conf.* 40. *num.* 3. *incip. istud nomen lib.* 1.

3 Quoad nostrum propositum. Annona sumitur pro victu, seu alimento diario, adeò vt qui duplicata gaudet sustentatione, binam Annonam habere dicatur, & qui habent privilegium quatuor portionum, v. gr. Generales Duces, &c. quaternam habere intelligatur. Sic intelligo cum DD. *leg.* 2. *Cod. Theod. de Domestic. & Protect.* ita Commentator *dict. leg.* 2. *quæ est prima, Cod. de frum. verb. Constant.* intelligit illa verba: *Annonæ binæ ternæ*, hoc est, duo vel tres panes, quia Annona solum pro pane accipitur, vt dixi, *& leg.* 6. *Cod. Theod. eodem tit.*

4 Summâ curâ Romani de Annona militari fuerunt soliciti; multum enim conducere ad prælia, & victorias nemo est, qui dubitet Claud. Coter. *de priuil. milit. lib.* 1. *cap.* 30. *leg.* 8. *tit.* 21. *part.* 2. ibi: *La quarta, la vianda, porque sin esto no se puede lo al mantener.* Vnde lepidè aliquis dixit bellum esse monstrum, cuius cõpositum (sicut cætera à capite) istud à ventre initium sumit. Vide Anton. Perez *ad tit.* 23. *lib.* 11. *Cod. Ideoque Duces militares exhibeant exactissimam curam circa Annonam, ne fame, aut inopia laboret exercitus; nam vt ait Vegetius, sæpius cõsumitur exercitus penuria, quam pugnà. Relatus à Petro Bellino de re milit. tit.* 6. *num.* 1. Ex Sacris Litteris *cap.* 11. *Numerorum.* Populus Israeliticus

ticus fame afflictus parvipendit libertatem recens acquisitam, cum tamen libertas sit bonorum maximum: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto.* Et cap. 20. *Insuper aquam non habet ad bibendum.* Et Filo *lib. 2. de vita Moysis*: *Libertatis spe migravimus, nunc nec viuere quidem possumus, felices nostri Ducis pollicitationibus, re ipsa miserrimi omnium mortalium.* Vnde D. Hieron. *lib. 3. super Amòs*: *Nil fame durius, quæ sæpè compellit obsessos humanis vesci carnibus, & in suam sævire naturam, ita vt nec parentes parvulis parcant liberis, & maritalis affectus vxoris dudum amatæ membra dilaceret.* Pulchrè Quintilian. *in cadav. past.* *Felix pestilentia, felix præliorum strages, denique omnis mors felix. Fames aspera vitalia haurit, præcordia carpit, animi tormentum, corporis tabes, magistra peccandi, dirissima necessitatum, deformissima malorũ: hæc ad humile corpus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicantes prosternit, hæc sæpè sociorum fidem fregit, hæc venena populis publicè dedit, hæc in parricidium pios egit: & posteà in fame nemo in moribus immunis est.* Mortem feliciorem fame belle pinxit.

5 Quapropter Romani rei bellicæ instructores optimi Præfectum crearunt pro Annona curanda, vocatum Præfectum Annonæ, cui summà curà hanc curã commisere, vt non solum omnes species Annonã componentes cumularet, sed & de alijs dependentibus, seu incidẽtibus pertractaret. Hoc est, quod Tusch. *concl.* 338. referre vult dũ ait: *Fiant Præfecti, qui curam habeant, & provideant.*

6 Triplicem invenio Annonam tempore Romanorum (quorum, circa

Præfecturam, vigilãtiam, & pulchra statuta reverenter, & prolixè evolvi, tanquam meo muneri optimè lucem præstantia) triplicem, *leg. Vendenti*, 2. *Cod. Theod. de Annona civili. Civilem*, quæ appellatur publica, vel popularis. Pro cuius notitia sciẽdum. Post captam Sardiniam, & Hispaniam, Gaium Iulium Cæsaré creasse duos Præfectos Annonæ, qui etiam nuncupati fuerunt Ædiles Cereales à Cerere Dea frugum sic vocati, *leg*. 2. §. 32. *de orig. iur. tot. tit. de Offic. Præf. Annon.* & navabant operam circa Annonam civilem civibus Romanis impartiendam, dictam publicam, vel popularem, à populo cui distribuebatur: ad quam spectat *tot. tit. de Annon. civil. lib. & tot. tit. de frum. verb. Rom. & de frum. verb. Constant. in Cod.* Nam cum Romani dicerentur Patres Patriæ, constituerunt omnes cives domum propriam habentes pro capitibus Annona frui, *leg.* 1. *Cod. de frum. verb. Const. & leg.* 1. *Cod. Theod. & Iustin. de Annonis civil. lib.* 11. & ibi Perez. Et dicti Præfecti, qui huic Annonæ populari præerant, habebant iurisdictionem extra ordinem, vt benè Cujatius *ad dict. tit.*

7 Secundam, *Palatinam*, quæ solum Palatinis præstabatur, *leg. Annona*, 15. *Cod. de erog. milit Ann.* Tertiam, *Militarem*, quæ solum Militibus in castris degentibus distribuebatur; de qua fit mentio *tot. tit. Cod. Iustin. & Theodos. de erogat. milit. Ann. lib.* 12.

8 Ita etiam triplicem possumus considerare Annonam, quæ quotidie datur à Rege in Portu Callai, & iussu Præfecti recipitur, servatur, & distribuitur à susceptore, id est, *Tenedor de bastimentos*, vt mox dicam. Prima est Annona *Classiaria*, quæ præ-

præſtatur Militibus, & Officialibus maioribus, & minoribus dum navigant de ordine Regis. Hæc eſt propriſsime Annona, quæ ad me pertinet; ratione cuius hoc meum munus erectum fuit, quamvis enim in diplomate, ſeu titulo mei Officij extendi deberet obligatio Præfecti ad Annonam Militum Præſidij Callaenſis (ita enim Præfectus à Rege appellatur, *Proveedor General de las Reales Armadas del Mar del Sur, y Preſidio del Puerto del Callao*) in praxi non extenditur ad eam cura Præfecti, ex eo quod Milites Callai ſolum gaudent ſtipendio, & non Annona, contra id, quod practicatum invenio apud Romanos, qui in primordijs ſui bene gubernati Imperij, Annonnam, & non ſtipendium Militibus præſtabant, vt videre eſt apud Livium *lib.* 4. relatum ab Antonio Perez *lib.* 12. *Cod. de erog. milit. Annon. tit.* 38. *num.* 7. vſque dum Tribunis requirentibus, Senatus decrevit ſtipendia præſtare; quapropter Patres Patriæ acclamari cœperunt Senatores, vt apud relatos conſtat.

9 Et vt omnia clariſsimè tractemus. Sciendum eſt noſtrum Regem Catholicum in illo Mari Pacifico in Portu Callai duas leucas à Curia Limæ diſtanti ſemper habere claſſem Regiam, cuius principale munus eſt trãſportãdi in Panamam theſaurum Regium, qui ex illo locupletiſsimo Regno Regi obvenit, & in Madritum mittitur, & theſaurum particularium ad nundinas in Portubello celebrandas illuc deſcendentem. Tempore antiquo hæc navigatio claſſiaria fiebat ſemel quolibet anno; poſteà ſemel in tribus annis. Modo intervalla video iam quinque, iam ſex annorum. Vtrum

ex hac interpolatione, & retardatione lucretur, vel patiatur Gaza Regia, non disputo, quia ad me non pertinet. Resolutio dubij erit obvia cuilibet.

10 Solent etiam hæ naves Regiæ singulis annis iter facere iam versus Regnum Chilense transportantes copiosa Regia stipendia Præsidijs, & Militibus illius Regni, qualia sunt Baldiviæ, Conceptionis, & Sancti Iacobi: iam versus Regnum Terræ-firmæ ad eadem stipendia præsidiorum: iam versus Novam-Hispaniã, seu Mexicum transportaturæ argentum vivum, *Azogues*, ad fodinarum beneficium. Dixi, *solent*, quia quanquam prædictæ remissiones plerumque fiant omnibus annis, non tamen semper ad hoc naves istæ Regiæ occupantur; quia plerumque, & præcipuè quando in illo Mari non est rumor, & periculum inimicorum, minori apparatu sufficiẽte ordinarijs particularium navibus vtimur ad remittendum has situationes, *situados*, & argentum vivum, vt sumptus Regij minorentur.

11 E contra, autem, aliquando accidit, vt inimicis imminentibus, & minantibus, non sufficiẽtes visæ sunt naves Regiæ, & alijs indigemus. Sic accidit anno transacto 1685. in quo classis Regia aucta, & roborata fuit octo alijs navibus, & tunc eliguntur ex particularibus, quę sunt plus idoneæ, Regioque brachio muniuntur, Duces, Officiales, & Milites intromittuntur, & in omnibus hæ naves instar Regiarum sunt, & omnes in eis Regi laborantes, & iter facientes gaudent Annona, sicut & stipendio, adeò vt qui in navi Regia gauderet bina, vel terna Annona, bina vel terna etiã in his gaudeat, nulla tan-

tandem in omnibus habita differentia. Et non solum æquivocãtur hæ particulares naves cum Regijs, quando mixtæ navigant, & sub vmbra Regiarum, sed etiam quando ipsæ solæ dum tamen Regio vexillo, & nomine, & Regi navigent, vt sæpè sæpius vidi.

12 Secunda Annona potest vocari Militaris, seu (si placet) *Annona Portus*. Præstatur enim Militibus, & Officialibus dum in Portu morantur. Statim ac classis Regia Callaum redit, Portumque ipsius feliciter appellit, evacuãtur naves militibus, & tormẽtis bellicis ipso Præsidio protectæ, & tormẽtis bellicis, quæ mœnia circumdant. Duces Maris, & belli, & fere omnes Milites incipiunt, vel repetunt servire Præsidio, ipsius cohorti applicati. Ex tunc, stipendium accipiunt, & Annonam non habent. Solumque remanent ad servitium navium aliqui nautæ, & tormentarij bellici, & aliqui milites, qui noctu excubias agunt pro tuitione Præsidij, & Portus. Hi remanentes in navibus, Annona gaudent, & omnes Officiales earum; non maiores, vt Generalis, nec Duces, sed Officiales minores, vt Magistri navium, Contramagistri, &c.

13 Hac secunda Annona etiam gaudent plures alij ex largitate, & indulgentia Regis, alij decreto Proregum, quales sunt Custos Atarasanæ, id est, Officinæ vbi naves fabricantur, & inde reparantur, Magistri Maiores, Calculator militaris stipendij, & alij qui assistunt Visori Generali, & alij, quorum aliqui Annonam in ipsis speciebus comestibilibus accipiunt, & consequenter ad curam Præfecti spectant, & ideo iussu Præfecti illis à susceptore distribuitur Annona

nona Regia, *vt in cap. de susceptor.* dicam. Alij ex gaudentibus Annona, illam recipiunt, sed reductam ad pecuniam, seu in pecunia, regulata qualibet simplici Annona pro duplici regali argenteo; & tunc non recipiunt à Præfecto Annonam, immò à Præfecti cura declinant, quia Præfectus non pecunias, sed Annonas præstat, seu præstare iubet, Ioan. Arz. *de nobilit. Hisp. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. Iul. Ferret *de gabel. num.* 466. & nos alio loco dicemus. Sed ab ipsis Officijs stipendij, *Oficios del sueldo*, scilicèt, *Veedor, y Contador* ipsis satis fit.

14 Poterat hic exagitari hæc quæstio. An Proreges possent hanc Annonam concedere, catalogum gaudentium Annona augere, & tandem his indulgentijs voluntarijs Gazam Regiam gravare? Sed eam vt odiosam, vel invisam relinquo, & timidus ab ea discedo. Aliquando vidi decretum huius Supremi Indiarum Senatus modificans Proregis largitiones occasione Annonæ concessæ à Prorege cuidam, qui de illa confirmationem ab hoc Indiarum Senatu expostulavit. Hac occasione solum potuit hoc negotium ad aures huius Senatus pervenire. Aliter non pervenit, quia nemo est qui audeat; in illo enim Regno repræsentatio in cōtrarium minime fit; immò nec stabilitum est, à quo deberet fieri, an à Præfecto, an vero à Visore? Hoc vnum est certum, quod timent omnes, & quidem rationabiliter, scientes casum, executum in Catalaunia cum nobili D. D. Antonio de la Torre, Equestri vnius Ordinis Militaris, Præfectoque Regiæ Annonæ in illo Exercitu, quem consulto omitto.

Pa-

Parum feliciter repræsentationes fiunt, & voces clamant contra voluntatem Proregis in Regno adeò longinquo, vt ferè impoſsibile ſit voces pervenire ad aures Regis.

15 Eſcalona verò *in ſuo Gazophil. lib. 1. cap. 5. caſu 2.* impavidè reſpondet, non poſſe Proreges huiuſmodi donationes, & liberalitates ex Gaza Regia facere. Et pro hac reſolutione citat, & affert plures Schedulas Regias hoc illis enixe prohibentes. Tres ſunt notabiliores; prima fuit data *die 7. Februarij anni* 1578. in qua Rex ſuo Fiſcali iubet contradicere totis viribus his donationibus, ſeu profuſionibus Theſaurum Regium dilapidantibus. Videndus Eſcal. *in dict. Gazophil. lib. 1. part. 2. cap. 10. num. 20.*

16 Secunda fuit data *die 29. Decembris anno* 1593. in qua ſtrictius idē iubetur, & prohibetur ſimiles profuſiones ſolvi, ibi: *Aunque ſea por librança de mi Virrey, Preſidente, y Audiencia, ſin particular orden mia.* Tertia, *data die* 13. *Decembris anno* 1617. in qua idem continetur, & prohibetur. Inſuper probatur eadem prohibitio *ex leg. 1. de Offic. Proc. Cæſ.* Padilla *in leg. Præſes, num. 5. Cod. de tranſact. leg. Contra iuris,* 28. *§. vlt. ff. de pactis.*

17 Vlterius, à pari probatur. Quia in omni, & quacumque ſolutione indebitè facienda, quam fieri Prorex iuſſerit, generaliter contraiubet Rex eam, vel eas ab Officialibus Regijs contradici, eos monens, quatenus præfatam contradictionem vrbaniſsimis vocibus, & terminis ſub ſpecie repræſentationis Proregi iubēti faciant. Etſi ſemel fieri dictam repręſentationem non ſufficiat, fiat pro ſecunda vice. Et concludit, ſe inde ſperare bonum de hoc

hoc exitum, effectumque habituras iussiones Regias prohibētes nil superfluum solvi, Proregesque prævijs his repræsentationibus Regi contraiubenti obedituros.

18 Tertia Annona est *deportatorum* in Insulam, quæ distat à Portu duas leucas. Hi sunt similes damnatis ad metalla, seu servis pœnæ, & certè servi pœnæ sunt. Solorz. *de iur. Indiar. lib.* 1. *cap.* 17. *à num.* 34. & *in Polit. lib.* 2. *cap.* 17. *fol.* 162. Hi damnantur ad eruendos continuò ingentes lapides, quibus Portus mœnia reparari queant, illis omnino semper indigentia: tum ob continuas maris vndas, quæ in mœnia semper superbæ franguntur: tum ad reficiendum ruinas, quas causare solent terræmotus, quibus terra Peruvica frequenter cōquassatur. Ad modum, quo inter Sinas delinquētes damnabantur ad eruēdos lapides, & reficienda ex eis mœnia contra Tartaros, P. Nicol. Trigau. *in Historia Sinarum, lib.* 3. & Pinto *in suis Peregrin. fol.* 129. Et de Rege Æthiopiæ idem tradit Diodor. Sicul. *lib.* 1. *cap.* 15. Hi damnati à Præfecto recipiunt Annonam; & vltra Annonam, recipiunt à Præfecto pro quolibet anno vnam vestem, qua induantur, de qua posteà loquar, dum de *sissa* sermonem capiam.

19 Hi servi pœnæ, & damnati in Insulam egent Custodibus, qui eos vinctos, & securos servent, & ad laborandum compellant. Ad hoc mittuntur Milites cum quodam Signifero Reformato, *Alferez Reformado*, cui omnes parent, vt in perpetua vigilia sint, ne fugam capiant, sicut multoties faciunt. Omnes isti Milites, & Signifer Annona gaudent, quam indivisam accipit ille Signifer,

nifer, vt per capita diſtribuat, tàm ipſis damnatis, quàm Militibus damnatorum Cuſtodibus.

CAP. II.

De Præfecto Annonæ.

1 HOc nomen *Præfectus* eſt quaſi genericum, & (vt ait Calepin.) eſt Præfectus, qui rei alicui pręficitur. Cumque *Proueedor*, Annonæ militari præficiatur, *tot. tit.* 17. *dict. lib.* 9. & Veytia *en ſu Norte, lib.* 1. *capit.* 22. merito illi potius, quam alteri hoc nomen adhæquari, & conveniri videtur.

2 Ergo non bene hoc intellexiſſe videtur Petrus Bellinus *dict. tit.* 6. *num.* 4. dum loquendo de Præfecto Annonæ, ait: *Quem (vt alio loco ſuprà dixi) vocant Commiſſarium Generalem.* Niſi fortè in aliquo Regno hæc Annonæ cura Commiſſario Generali fuiſſet addicta; cum non ſemper Miniſter privativus ad talem curam Annonæ creatus inveniatur, vt bene advertit Veytia *num.* 1. & 2. Niſi dicatur aliquando Commiſſarium vocari eum, qui mittitur à Præfecto ad emendam aliquam annonariam ſpeciem, vbi ipſe Præfectus adeſſe non poteſt, *ex leg.* 26. *tit.* 17. *lib.* 9. *Recopil. Indiar.* dum noſter Rex præbet facultatem Præfecto aſsignandi quatuor Commiſſarios ad ſpecies Annonæ emédas; ſed eſtò, poſsit vocare illum nomine *Commiſſarij*, non debuiſſet adijcere illi cognomen *Generalis*, cum hi miſsi nudè Commiſſarij vocentur.

3 Minus bene ſentit Alfar. *de offic. Fiſcal. gloſ.* 16. *priv.* 11. *num.* 95. dum eos Primipilos eſſe dicit, nam loquens de rei Regiæ Adminiſtratoribus apud nos *Oficiales Reales*, & iuxta Solorz. *lib.* 6. *Polit. Ind.*

L *cap.*

cap. 15. *Quæstores, & Exactores*. Regiam Gazam ad nostrum Regem quomodolibet pertinentem servantibus, adaptare non valens primipiliaria privilegia, de quibus *tot. tit. Cod. de primip. lib.* 12. ait: *Sed id nunquam vidi servari, & sine dubio ad eos, quos dicimus Proueedores de el Exercito*. Cumque Præfectus Militaris Annonæ, seu Proveedor Annonam in specie non servet, quia hæc custodia, & ratiocinium de ea ad Susceptorem, vulgò *Tenedor de bastimentos*, spectet, *tot. tit.* 19. *dict. lib.* 9. *Novæ Recop. Indiar.* nec pecuniam ad Annonam emendam habeat, vt posteà dicam; hoc enim, & de eo, ratiocinium ad Thesaurarium Militarem, vulgò *Pagador General*, pertinet, *tot. tit.* 18. *lib.* 9. Cumque tandem Præfectus ad ratiocinia adstrictus non existat, inde est, quod talis dignitas Primipili, vtpote numerationibus obligata, Præfecto competere nequeat.

4 De qua re haud dubius ipse Author, *num.* 98. seipsum videtur corrigere, dum referens authoritatem D. D. Ioannis de Avalos *in repet. ad legem Assiduis, Cod. qui potiores*, ait: *Priuilegia Primipili hodie intelligi posse in his, qui dicuntur Proueedores, vel Pagadores*, non rectè confundens Officia diversissima. An autem pofsint primipilaria privilegia adaptari Thesauratio Militari, vel Pagador? Non est meum tractare.

5 Nisi dicamus Præfectum posse dici Primipilum in lata significatione, quatenus scilicèt est primus Administrans, & (vt Alex. Scot. explicat *in suo Dictionar.* qui primò actionem sui Officij administrat. Nec favet Alfar. *lex* 3. *Cod. de Cohort. lib.* 12. & ibi Glossa Marginalis verb. *Primipili*, vbi dicitur,

tur, primipilum Annonę Militaris curam gerere, quod etiam vult *lex 7. eodem tit.* Nam hoc intelligendum est de Primipilo, seu Centurione decimæ Legionis, cui Annona Militaris tradebatur, vt per capita eam Militibus distribueret. Sic Alciatus noster ex Græco iuris interprete explicat. Vnde Primipilus curam habet Militaris Annonæ, non providendi, & emendi eam, sed emptam, & provisam recipiendi, & inter Milites distribuendi. Et in hac acceptione patet Primipilos nō gerere Officium Præfecti, sed Susceptorum, vel Obsidionum, de quibus immediatè dicam, vnde debitum Primipilare, *de quo dict. lex 3. & 6. Cod. Theod. de Cohortal.*

6 Romanos evoluendo invenio Præfectos alio nomine apud ipsos potiri, aliaque nomenclatura cognosci plus ei adæquata, eiusque exercitio, nempè *Subscribendarij.* Quod, vt magis percipiatur, prælibare oportet modum, quo à nobis Annona Regijs sanctionibus observatis, distribuitur, vt ad Romanos transitum faciamus.

7 In omnibus navibus Regijs sunt Magistri earum, *Maestres de Navios*, qui hanc Militarem Annonam recipiūt distribuendam ab ipsis, *leg. 42. lib. 9. tit. 24. Nov. Recop. Indiar.* qui ratiocinijs obstricti manent, *leg. 5. eod. tit.* Isti ab Officialibus stipendij Regij, *Oficios del sueldo*, accipiunt catalogum, *nomina, ò poliza*, omnium navigantium, vel dicta Annona gaudentium in suis libris notatorum, in quibus non solum continetur numerus personarum, sed quātum vnicuique competat, hoc est, quibus simplex Annona, quibus duplex, quibus quadruplex distribuenda sit? *leg. 49. lib. 9. tit. 16.*

Qua obtenta dicti Magistri Præfectum Annonæ adeunt, qui Susceptori vniversali, *Tenedor de bastimentos*, in scriptis iubet tradere dicto Magistro tãtam, ac talem summam omnium specierum Annonæ, quæ necessaria est, facta computatione omnium contentorum, & annonarum simplicium, duplicium, vel quadruplicium vnicuique distribuẽdarum, *leg. 6. dict. lib. 9. tit. 19.*

8 Hoc Præfecti mandato præeunte particulares Susceptores, sivè *los Maestres*, ab vniversali Susceptore, *Tenedor de bastimentos*, recipiunt omnes illas annonarum species, & ad terga mandati se recepisse fatentur à Susceptore vniversali omnes species mandatas. Et hoc mandatum Præfecti cum hac receptionis subscriptione à Susceptore particulari facta liberat Susceptorem vniversalem à ratiocinio, seu (vt melius dicam) præstat instrumẽtum legitimum ad se tuẽdũ in ratiocinijs, ad hoc, vt in Tribunali Calculationum Regiarum illæ quantitates pro acceptis habeantur, *leg. 4. dict. lib. 9. tit. 19. Nouæ Recop. Ind.* Et ex eodem instrumento oritur, seu resultat Magistrorum Ratiocinium. Vnde resultet ratiocinium Susceptoris vniversalis? dicam alibi. Interim dico resultare ex emptionibus à Præfecto celebratis cum specierum dominis.

9 Hanc nostram in hac re praxim, Romanorum etiam fuisse video circa erogationem, & distributionem Militaris Annonæ: nam, vt ait Iacobus Godofredus *in Parat. tit. de re militar. Cod. Theod.* quatuor circa eam Officia occupabantur: *Subscribendarij, Actuarij, Optionis, & Susceptoris.* Et vt maiori claritate loquar, de eis dicam non secundum

dum dignitatem Officiorum, sed secundum prædictam nostram narrativam. *Optiones*, de quibus *in leg.* 1. *de erogat. milit. Annon. Cod. Theod. & leg.* 24. *& leg. vlt. de iure Fisc.* erant, qui Annonam Militarem à Susceptore vniversali flagitabant, *leg.* 24. *eod. tit.* & per capita distribuebant: ecce Magistros, *Maestres* Susceptores particulares dictos.

10 *Susceptores*, qui & Præpositi, & Procuratores horreorum dicebantur, erant, qui Annonam Militarem à se susceptam, & custoditam Optionibus petentibus erogabant, *leg.* 11. *&* 24. *eod. tit.* Species Annonæ ex horreis proferebantur, *leg.* 11. *&* 13. *eodem.* Hi numerationibus obligati erant, *leg. vnic. Cod. de quadrim. brev.* Ecce Susceptorem vniversalem, *Tenedor de bastimetos.* Iste Susceptor, & antedictus Optio vterque Annonã recipit; Susceptor generalem, Optio particularem. Vterque sub numeratione est, id est, vterque obligatus manet ad ratiocinia præstanda.

11 *Actuarius*, de quo, & de eius conditione agitur *in leg.* 11. 13. 16. 24. *&* 28. *eod. tit. leg.* 3. 5. 10. 14. *&* 15. *Cod. de numer. & act. leg.* 4. *de execut. leg.* 125. *Cod. de Decurion.* erat, qui numerorum Militariũ ratiocinia pertractabat, *dict. leg.* 16. *de erogat.* id est, quantum vnicuique numero, quantum Militibus, Annonę competeret. Hic pitaccium, *poliza*; præstabat, *leg. Actuarij*, 5. *Cod. Iustin. de erogat.* Ecce Visorem Generalem, vel Officiales stipendij, *Oficiales del sueldo*, ab illo enim, vel ab istis petit Præfectus prædictum pitaccium, *poliza.*

12 *Subscribendarius*, de quo *in leg.* 1. *Cod. Theod. de erogat.* erat, qui monitorium, seu cõventionem annonarum subscribebat.

Ecce

Ecce Præfectum. Subscriptio hac formula, seu comnonitorio (ita vocatur à Goth.) ad Præpositos pagorum, vel horreorum fiebat: *Huic, vel illi Tribuno, seu Præposito efficies, sivè dabis tantum annonarum, quam hic, aut ille Optio exigit.* Quid clarius, & similius nostris annonarum distributionibus, in quibus omnes cōcurrunt? Et quid clarius, vt Præfectus, *el Proueedor Subscribendarius* sit, & posit vocari cum subscribat mandatum Præposito, seu *Susceptori horreorum*, vt det Optionibus, seu *partialibus Susceptoribus* tantum annonarum secūdum eorum pitaccium ab *Actuario* præstitum?

13 Quo tandem nomine debeat nuncupari, est quæstio de nomine, & infructuosus labor. Quod dixi & circa hoc cumulavi deserviat ad Romanarum antiquitatum plenam, & curiosam cognitionem, & vt posimus eorum legibus vti, cum pariformes curramus in erogatione Militaris Annonæ. Veniat tamē deinceps *el Proueedor* nuncupandus à me Præfectus Militaris Annonæ, hoc enim nomen invenio vsitatius, & Romanis conformius.

14 Hæc, in fine, notanda est differentia, vt nihil intactum relinquamus. Tempore Romanorum Susceptores annonarum eas accepisse à Provincialibus quibus providendi cura incumbebat, *dict. leg.* 1. *Cod. Theod. de erogat. leg.* 21. *eod.* nam Annona præstabatur ratione soli à Provincialibus, Otarol. *de nobilit. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. *leg.* 7. *Cod. de exactor. tribut. lib.* 10. & consequenter Præfectus, seu Subscribendarius, solum curabat de erogatione, seu distributione ad inferiores susceptores facienda per man-

mandatum in fctiptis, non tamen curabat de Annona emenda. Excepto casu *leg. Septem*, 12. *Cod. de erogat. leg.* 1. *Cod. vt nemini liceat*, de quibus posteà *lib.* 3. In nostro autem Peruano Regno Præfectus de pluribus curat; nō enim tantum curat de Annonæ distributione subscribendo mandata, sed & de emptione annonarum; omnes enim ipsemet emit. Quæ emptio quomodo fiat, & celebretur, in tertio libro dicam. Ad Præfectum Militaris Annonæ spectat vigilantissima cura de bonitate, & qualitate specierum pro Annona tribuendarum, *leg.* 23. *lib.* 9. *tit.* 17. *Nov. Recop.* vt nec inveteratæ, duræ nimis, nec nimis viles fiāt; nam vt ait Claud. Coter. suprà, & Th. Act. *de ludo Scachor. num.* 78. *Si sunt duriores, miles commode sustentari nequit; si viliores, ita venter replebitur, vt altiori somno sepultus, non excubias, vigiliasque tantum, sed & omnes Militiæ functiones omittet.* Sufficiat de hoc.

CAP. III.

De erogatione, & distributione Militaris Annonæ.

1 Cognita iam nomenclatura, & obligatione Præfecti; cognitaque iam Annona, & eius divisione, non erit extraneum de speciebus annonarijs, & de earum distributione minutim dicere, cum idem faciat Imperator Constantinus *in leg.* 1. *Cod. de erogat. milit. Annon.* Amice Lector, si non es Præfectus, vel curiosus, siste, & hoc caput omitte; leve, immò & ridiculum forsitan tibi videbitur: mihi ad oppositum confidentiam præbet serietas Imperatorum, & Romana, quæ de his minutijs aliquo sensu grandi-

dibus minutim tractant. Mei muneris est, distribuere ibi Annonam, manu: quidni etiam erit distribuere hic, calamo? Prolixum fortè Lectori præsenti. Iucundum fortè Præfecto futuro. Nō erubuit referre Annonas Romanas Imperator qui iussit, cur erubescet referre Annonas Peruanas Præfectus qui obediens recolligit?

2 Navium Magistri, seuSusceptores particulares, non diurnam Annonam quolibet die recipiunt, sed menstruam, dum sunt in Portu; & commensuratam tempori navigationis prudenter à Præfecto taxato, dum navigant inde ab eisdem per capita, & in dies distribuendam. Tota annua Annona indiget carnibus pro duabus tertijs partibus anni; piscibus pro vna tertia parte. Tempore Quadragesimæ in Portu exactè observatur abstinentia à carnibus. Dum navigatur, temperatur carnibus ieiunium ex necessitate, & propter ægritudines in regione calida Panamensi inde emergētes. Exemplo minutiori res clara fiet. Die carnis, qui simplici Annona gaudet, accipit ex pane bis cocto libram & dimidiā, ex carne libram, cum hac differentia: In Portu datur libra, & dimidium libræ carnis bovinæ recentis; in navigatione actuali datur libra carnis bovinæ salis, & solis, siccæ beneficio. Carnis suillæ, *tocino*, dantur duæ vnciæ.

3 Diebus ieiunij, vel abstinentiæ datur eadem quantitas panis, libra scilicèt, & dimidium libræ. Vna libra piscium, & in defectu piscium solet dari oriza, *arroz*, quæ à Solorz. *lib.* 1. *de iur. Indiar.* *cap.* 8. *num.* 8. appellatur *lupulus*; & *lib.* 2. *Polit. cap.* 10. *lupino*, ò *altramuz*, & famem suaviter lenire af-

fir-

firmat, palatoque suavissimum esse, & certum est ipsum, vel orizam Militibus placere, & ab eis plus alijs æquivalentibus desiderari. Vel suppletur lentibus, vel alio fructu peculiari Peruvij, qui vocatur *Pallar*, ex his supplentibus recipiunt libenter vnam libram.

4 Curet Præfectus (posteris meis consulo) conducere pisces, solis beneficio siccos, ex Portu Paytæ, si sufficienter non capiuntur à Piscatoribus Indis Callai. Veniunt igitur optimi ex Payta, Latinè *malvæ*, Hispanicè *tollo*, ò *abadejo*, & quidem sunt in duplici differentia, vel ordinarij libram ponderantes, quorum quilibet est vna simplex Annona, vel *de tributo*, qui sunt maiores libram & dimidiam, plus minusve ponderãtes: duo ex istis faciunt tres simplices Annonas; in hoc enim puncto piscium idẽ est dicere libram, ac Annonam.

5 Ex minestris dantur sex vnciæ. Minestra tàm diebus carnis, quàm piscium, componitur ex ciceribus, vel simili *frixol*, fructu terræ. Olei datur vncia & dimidia, tantumdem aceti correspondente. Duæ correspondebant quando Pręfecturam intravi: novi esse fraudẽ, & lucrum Dispẽsatorum, & restrinxi. Quid mihi eorum susurratio? Datur omnibus diebus dum navigatur sufficiens aquæ mensura, tum ad bibendum, tum ad coquendum esculenta, & mensura salis pro discretione Præfecti. Hæc omnia indivisim suscipit Susceptor particularis, vel Magister Navium, *Maestre*, in capita secundum quod vnicuique cõpetit distributurus.

6 De vino. Advertendum. Quod licèt Romanis visum fuit necessarium, & concessim Mili-

tibus, *dict. leg.* 1. *&* 10. *eod. leg.* 4. 6. *&* 25. *Cod. Theod. eod. tit.* & in Hispania (vt video) ita obseruetur, & concedatur tàm pro Regia Classe, quàm pro nauibus thesauri Regij, & commercij publici vocatis *Galeones, y Flota*, & est textus *in leg.* 28. *&* 29. *lib.* 9. *tit.* 17. In classe tamen Peruana non datur vini annona vniuersalis; non quia vinum desit, abundat etenim, immò & ordinarium Peruvij vinum est generosius eo, quod in Hispania datur pro annona; sed quia fortè in regione illa, saltim Panamensi summè calida, quo clasis tendit, non est necessarium, & ideo fortè (vt verum dicam) non appetitur à natura. Fortè quia Militibus officit, consilio accepto à Carthaginēsibus, qui prohibiti erant illud bibere, dum erant in castris, ne in prælio capite grauidi deficerent. Teste Claud. Cotereo *de iur. & priuil. Milit. cap.* 30. *& leg.* 9. *tit.* 25. *part.* 2. ibi: *Cà la sidra, è vino, como quier que los homes lo aman mucho, son cosas, que embargan el sesso; lo que no conviene en ninguna manera à los que han de guerrear sobre Mar.* Idem *leg.* 2. *tit.* 5. *eadem part.* & vt ait Propert. *lib.* 3. *eleg.* 33 *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.*

7 Fortè in principio Indiarum non præstabatur Militibus vinum, quia non erat, cum prohibita fuisset in illo Regno vinearum plantatio. Vide Solorz. *Polit. Indiar. lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 112. Circa quod multa possent dubitari, & dici: Primò. An fuisset iusta talis prohibitio? Secundò. An Gubernatores in vinearum permissione male egissent? Sed, quia ad Gubernium potius, quam ad Præfecturá, spectant, has quæstiones intactas relinquo. Adi Solorz. dicto loco, qui

qui plura ea eruditione, qua solet, congerit; dum ego non detrahendo, sed dolendo video illud fertilissimum Regnum omnibus Regnis aptius ad omnia, victui, & humanis necessitatibus necessaria, v. gr. sericum, linum, ceram, mel apum, cartam, &c. & simul video illud, data hominum opera, ferè omnibus carens, eo fine, vt in omnibus dependeat ab isto, Politicis vim naturæ inferentibus, & fertilitatem summè ibi luxuriantem toto humano conatu supprimere, & sterilizare conantibus. De quo gauderem, si cedere viderem verus Hispanus in vtilitatem meæ Hispaniæ. Sed qui video (& calleo quidem) ferè omnia cedere in vtilitates summas extraneorum, & fortè inimicorum, qui indigentias Indicas suas abundantias faciunt, vires sumentes ex opulentijs nostris, vt contra nos ex nobis insurgant, & summè nos bellis vexent (Anglos & Hollandos testes adhibeo) non possum non humectare lacrymis has litteras. Suspirio supersedeo. Meam Annonam prosequor.

8 Annonam vini percipiunt tantum Officiales maiores, vtpote Generales, Duces, Capellani, Præfectus, Visor, Calculator stipendij, & omnes isti duas amphoras, *arrobas*, accipiunt pro quolibet mense. Alij minores Officiales, vt Magistri, & Contramagistri nauium, vnam amphoram pro mēse. Custos Remigum, vel Relegatorum in Insulam, solet decreto Proregis vna amphora potiri. Et tandem omnium vini annona gaudentium catalogus, seu ratio extat penes Officiales stipendij, vt cum pitaccium, *poliza*, præstant Optionibus, seu particularibus Susceptoribus, *Maestres*, per capita

pita Annonam distribuētibus, Præfectus certioretur, sciat, & iubeat præstari mēsuras necessarias, & amphoras vini correspondentes. Et de his satis. Amice Lector, hæc fortè tibi sunt levia, meo muneri vtilia, & necessaria. Præfectus posteris complaceo, & consulo.

CAP. IV.

De aderatione Annonæ. An Annona possit pecunia præstari?

1 CUm Annona inter Romanos prestaretur à Provincialibus tanquam munus, seu tributum, non poterat nisi in eisdem speciebus præstari, v. gr. in vino, oleo, frumento, &c. nam vt bene sentit Otarol. *de nobilit. cap.* 2. *primæ partis, num.* 18. & Cujac. *ad rubricam Cod. de Añon. & trib. lib.* 10. in eo differt Annona à collecta, quod collecta præstabatur auro, & argento, Annona autem specie ipsa.

2 Hæc regula generalis pro Annonis omnibus, vigebat fortius pro Annona Militum, quæ ab eisdem tuendi Exercitus causa præstabatur Opinatoribus exigentibus, *leg.* 7. *Cod. de exact. & tribut.* quæ non nisi in eisdem speciebus præstabatur. Extat Constantini constitutio *in leg.* 1. *Cod. Theod. de erogat. milit. Annon.* & Anton. Perez refert *ad tit. de exact. trib. num.* 5. Plura retuli *cap.* 3. ex Vegetio, & Bellino. Et ideo apud Romanos erat interdicta Annona civibus in pecunia, *leg.* 1. *Cod. de frum. verb. Constant. lib.* 11. quæ est *lex* 2. *Cod. Theod. eod.* quia, vt ait *d. lex Quoniam crescit inopia, si frumento quod pro Annona tribuitur, ad vsus alios deputata cognoscantur.* Quapropter nec in ipso frūmento, sed in pane cocto po-

poterant eam recipere, ibi: *Annona in pane cocto domibus exhibenda in tantum, vt nulli, ne Divinæ quidem domui nostræ frumentum de horreis publicis pro Annona penitus præbeatur*. Et Lucas de Penna *ad dict. leg.* in illis verbis intelligit ipsum Imperatorem: *Cogentur enim sibi de publico emere, quæ alijs vendere potuissent*. Verba sunt eiusdem textus: qua ratione nec vendere eam poterant, quod si de facto fecissent, omni firmitate, & valore carebat venditio, *leg. 7. Cod. Theod. de Annon. civicis*, cumque plus hæc ratio vigeret in Militibus, ex suprà dictis, & fortius in classiarijs, inde est, quod eadem prohibitio rigidius cum Militari Annona debeat intelligi: & cum datur eadem ratio (& multo magis si maior datur) eadem iuris dispositio venit intelligẽda, *leg. 1. §. Si stipulanti, ff. de verb. oblig. cum vulg.* Prçterquàm quod expresse cautum, & iussum fuit *in leg. 7. Cod. Theod. de Annon.* ibi: *Miles militarem, popularem Annonam popularis exposcat, leg. 18. Cod. Theod. de erogat. leg. 20. 21. & 22. eod. tit.*

3 Pœna imposita transgresioni huius legis hæc erat: Si Miles ipsam Annonam venderet, seu species annonarias, non poterat petere, nec pretium earum, nec ipsam Annonam, *leg. 18. & 20. Cod. Theod. de erogat. leg. 7. Cod. Iustin. eod. tit.* Et Subscribendarius, qui (vt diximus cap. 3. Præfecto correspondet) si in pecunia Annonam solvere iubebat, gladio puniebatur: nam (vt ait Marvilius *ad expositionẽ dict. leg. 1. Cod. Theod. de erogat.*) *Non temerè igitur est, quod Subscribendario hæc legis pœna imponitur, pecuniam Tribuno, seu Præposito præbere iubenti, cum ipsas species annonarias præberi commoni-*

nitorio suo debuisset. Vnde semper hæc Annona pecuniaria veniebat damnanda, & punienda.

4 Eadem prohibitio fit, & commendatur à nostris Regibus, *leg.* 39. *lib.* 9. *tit.* 17. *Novæ Recop. Ind.* & *dict. lib.* 9. *tit.* 16. *leg.* 38. *&* 39. & huiusmodi curam imponit Visori Generali, Veytia *en su Norte, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 11. *&* 14. argumento eius, quod de Quæstoribus refert Solorz. *Polit. lib.* 6. *cap.* 15. *fol.* 1026. *col.* 2. & expressè *à leg.* 37. *tit.* 8. *lib.* 9. ibi: *En los mismos mantenimientos, y no conmutandolo à dinero.*

5 Nec contrarium Romanorum tẽpore suadere possent, *leg.* 10. 14. 22. *& vlt. Cod. Theod. dict. tit. de erogat. leg.* 10. *&* 19. *eod. Cod. Theod. de Cohort. leg.* 8. *Cod. Iustin. de Cohort.* vbi Annona non semper certis speciebus præstabatur Militibus, sed quandoque pretium pro ea consequebantur. Vnde & Annonæ adærari dicebantur, *leg.* 28. *eod.* hinc adæratio, *leg.* 30. *&* 32. *Cod. Theod. de erogat. adæratæ Annonæ, leg.* 31. *ærariæ Annonæ, leg.* 34. 35. 36. *eod. tit. Cod. Theodos.* Nam licèt cum Macrobio *ad dict. leg.* 1. respondere possem adærationem Annonæ fuisse aliquãdo permissam, sed ex posterioribus legibus prohibitam, & illam adæratione abolitam; ad hanc tamen responsionem non recurro. Et cum ex hoc dependeat tota huius materiæ cognitio, & vt promiscuitas nostrarum legum cum legibus Romanorum clarè, & pulchrè pateat.

6 Respondeo. Et pro certo tenendum Romanorum tempore Militarem Annonam pecunia non solvi; quod est idem ac dicere, Milites nõ posse Annonam adæratam petere, nec accipere, nisi rescripto, vel indulgentia Prin-

Principis; sed cum exceptio firmet regulam in cōtrarium, *ex vulg. cum leg. Nam quod liquidè, ff. de pœn. leg.* Inde est, quod exceptiones dictarum legum nostram potius conclusionem validissimā firment. Aliquando hæc indulgentia concedebatur ratione personæ, vt *in leg.* 10. Protectoribus fori, & *leg.* 35. vniversis Officijs, & Sacri Palatij ministerijs. Aliquando ratione loci, vt *in leg.* 30. & 31. Militaribus, qui erant per tres Palæstinas, per Orientem, & Ægyptum. Quod autem tale rescriptū specialem indulgentiam importaret, patet ex eo, quod semper in concedendis his exceptionibus vsi fuissent Imperatores his verbis: *Præcipimus, iubemus*; quæ denotant potestatis plenitudinem generales regulas derogantem, vel dispensantem: & patet ex eo, quod plerumque fiat cum personarum expressa nominatione, quæ privilegium imbibit, ideoque personas non transgreditur, §. *Sed & quod Principi inst. de iur. nat. gent. & civ.* Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 6. & 10. Donellus *lib.* 21. *Commentar. cap.* 14.

7 Quod quidem & in illa Peruana Regia Classe ad praxim redactum video in aliquibus decretum à Prorege obtinentibus ad hoc, vt ipsis Annona adærata præstetur, & in virtute huius decreti Annona in pecunia illis datur quamvis sint ipse, & omnes in actuali navigatione, in qua propter supradicta fortior ad contrarium vrgebat ratio. Quid dicendum, aut faciendum, quando hoc fiet sine decreto, Officialium solum amicitia? Interrogo; fieri potest? Non est mei muneris respondere. Hoc vnum scio: Præfecti muneris esse, distribuere Annonas in specie, non in pe-

pecunia; cum Præfectus pecuniam non cõtrectet, nec posit iubere pecuniam pro Annona dari. Quod est adeò verum, vt quando Annona adæratur, Præfectus non habet quid faciat, de illa adæratione nescit. Et qui Annonam adæratam petit, eam à Thesaurario Generali, *Pagador General*, cum interventu, & nota Officiorum stipendij, *del sueldo*, cum stipendio sui muneris accipit; adeò vt ab Officijs dicatur, vel scribatur, illam personam debere recipere tot numos pro sui muneris stipẽdio, & tot pro Annona, quam adæratam recipit.

8 Notandum, quod in hac hypothesi observatur, nempè: adæratam hanc Annonam correspondere diebus, vel mensibus naturalibus, non verò mensibus annonarijs classiarijs, id est, illis, pro quibus in navibus Annona præparatur. Explico. Si pro navigatione faciẽda præparata fuit Annona speciaria duorum mensium, & navigatio solum duravit vnum mensem, species adærata vni mensi correspondens solum dabitur illa gaudenti. Et cõsequenter in pitaccio Magistrorum Navium, Optionum, seu Susceptorum, non mentionatur iste adæratam Annonam percipiens, nec recognoscitur ab Optione ad distributionem per capita faciendam.

9 Advertant hic Præfecti, & occurrant aliquorum, non tàm malitiæ, quàm cupiditati, dum desiderant recipere partem suæ Annonæ in specie, & partem in pecunia. Adærari petunt illam partem Annonæ ex qua maius lucrum percipere possunt, v. gr. vinum plerumquè in pecunia volunt recipere propter taxationem altam pretij factam in nostris pro hoc Regno ordina-

nationibus. Hoc nũquam permisi, nec posteri Præfecti debent permittere propter principia iuris communis; quia scilicèt approbata, vel reprobata Annona, omnis eius pars approbata, vel reprobata intelligitur, Ant. Bon. *decis*. 55. *num*. 11. cum nemo possit pro parte admittere, & pro parte non admittere, ex parte cognosci, & ex parte nõ cognosci, ex principijs iuris. Et si in hoc, aliquis vsus inveniatur, abusus, & non vsus, censendus est, præcipuè in Annona quæ divisionem non recipit, sed pro indiviso tenenda est, *leg. Cum qui ædes, de vsu. cap. cap. cognovimus*, 12. *quæst*. 2. *cap. quia circa*, 22. *de privileg. cap. cum in tua*, 30. *de decim*.

10 Et vt magis percipiatur conformitas, seu promiscuitas nostri, & Romanorum iuris circa Militarem Annonã. Notandum, quod quando à Romanis præstabatur adærata Annona in illis exceptionum casibus, non ante, nec aliter poterat præstari, nisi taxato, aut statuto pretio, *leg*. 18. *Cod. Theod. de Cobort*. quæ est *lex* 8. *Cod. Iust. eodem leg*. 35. *Cod. Theod. de erogat*. quæ est *lex* 15. *Cod. Iust. eod*. ibi: *Pretijs taxatis præcipiat erogari*, *leg*. 36. *Cod. Theodos. eod. tit*. ibi: *Non alijs eas pretijs, nisi quæ in foro rerum venalium habeãtur*, *leg*. 32. *eod. tit*. Idem & nos facimus, quia pro hoc casu Annonæ adæratæ, taxatum habemus pretium, & Annonæ valorem, nempè vt duo numuli, seu regales argentei sint valor vnius simplicis Annonæ, & qui quatuor Annonas habet, octo regales percipit. Amphora vini taxatur quatuor argenteis, seu vncijs argẽteis, quarum quælibet octo simplicibus regalibus constat. A quo fuerit facta hæc taxatio an à

Prorege, an à Supremo Indiarum Senatu? ignoro. In Officijs ſtipendij, *del ſueldo*, à quibus Annonæ adæratæ ſolvuntur, invenietur origo talis taxationis, quæ certè in aliquibus poſſet reformari. Sed cum non Præfecto, ſed alijs de hoc curãdum ſit, zelum de hoc illis linquo.

11 Aliquando Milites Romani adæratam percipiebant Annonam, non propter favorem perſonis, ſeu Militibus faciendum, ſed propter difficultatem conductionis, & commeatus pro itinere faciendo, *leg. 14. Cod. Theod. de erogat. milit. Ann.* in qua Valens, & Valentin. conſtituerunt Milites Riparienſes, qui tunc erãt Calcedone ad debellandum Procopij Exercitũm, qui tyrannicè illam Regionem occupabat, accipere Annonam in ſpecie pro novem menſibus, & in pecunia pro tribus alijs menſibus anni adæratam recipere. Et ratio illius diſpenſationis fuit difficultas in invenienda, & conducenda Annona, vt tenet Amianus Marcel. *lib. 26. pag. 378. & ſeqq.* Et illos tres menſes Annonæ adæratæ credo fuiſſe hyemales, in quibus à bello vacabant; quia dum erant in procinctu, & expeditione, non eſt credibile permitti à Romanis bene omnia gubernantibus adæratam Annonam Militibus diſtribui, vt Milites ieiuni remanerent viribus per conſequens deſtituti.

12 Et caſus contigit, & fuit ad praxim reductus in Portu Callai anno 1695. in quo cum Præfectus experirer ſummam caritatem frumenti pro pane bis cocto faciendo, adeò vt id vix invenire poteram, vt Piſtoribus traderem; de hoc conſului Exc. Proregem Comitem de la Monclova,

qui

qui mihi in scriptis iussit præstare Annonam adæratam omnibus illis, qui cum in Portu sunt, illa gaudebant. Quæ adærata Annona quatuor menses duravit, dum caritas viguit. Hæc autem providentia Annonæ adæratæ non fuit extẽsa ad relegatos in Insulam, penes quos dabatur impossibilitas nõ solum moralis, sed physica emẽdi Annonam, cum non sint in Portu, sed in Insula omni Annona destituta, maximè vigente respectu illorum illa supradicta maiori ratione, vel timore, ne langueant, & in labore deficiant, qui Regi fortiter laborant.

13 Modus autem, quo prędicta adærara Annona solvebatur, hic erat. Facta à me Præfecto regulatione, & correspondentia pretij ad Annonam secundum taxam à Iustitia appositam, mandatum conficiebam mittendum Thesaurario Generali, *Pagador General*, à quo solvebatur. Præstabaturque omne productum secundum pitaccium Visoriæ Generalis, *poliza de la Veeduria General*, Optioni vniuscuiusque Navis, hoc est, *al Maestre de las Naues*, qui per capita solvebat vnicuique Annonam adæratam correspondentem Annonæ specificæ, quam erat percepturus.

14 Huic obstare videtur quod suprà dixi num. 7. nempè à Præfecto solvi solum Annonam in specie, adæratam vero non à Præfecto, sed ab Officijs stipendij. Sed respondeo. Quando particularis Annona solum adæratur, tunc non Præfectus, sed Officia stipendij solvunt illam: at vero quando vniversalis Annona omnium ea gaudentium adæratur, iusta interveniente causa adærationis, & decreto Proregis, tunc à Præfecto Annonæ modo præfato distribuitur.

Dispensatum enim, & factũ ab ipso Principe creditur, quod in talibus circunstantijs dispensatur, & fit à Prorege, Ponte *de pot. Proreg. tit.* 7. §. 6. *num.* 3. cum ex amplissima commissionis forma *Alter ego* cõcipiatur. Præs. de Franch. *decis.* 165. *numer.* 2. Molfes. *in Proœm. consuet. quæst.* 7. *per tot.*

15 Poterant etiam Milites tempore Romanorum aliquando Annonam vendere, seu superfluum Annonæ, & quidem non nisi certis personis, *leg.* 10. *Cod. Theod. de Cohort.* vbi si post pactum Primipili aliquid nundinarum putaverint, vt superfluum; non alteri, nisi suis adiutoribus vendere poterant. In hoc etiam Romanos sequitur. Iubetur enim *in lege* 29. *lib.* 9. *tit.* 17. *Nov. Recop. Indiar.* non alijs posse vendi vinum annonarium, quod superfuerit, quàm ipsi Regi pro alijs Annonis præstandis, ibi: *Ordenamos, y mandamos al General, Veedor, y Contador della, que hagan tomar para la Armada el vino que ahorrare la gente, y que se le pague por cuenta de la averia, ò caudal de provisiones, al precio de Cartagena; y que de ninguna forma lo dexen de embarcar.* Aliàs omnis venditio est nulla, ita vt possit tàm contra vendentes, quàm contra ementes procedi, *leg.* 77. *tit.* 15. *lib.* 9. *leg.* 39. *tit.* 17. *lib.* 9.

CAP. V.

De Horreis, & de Susceptoribus, seu Præpositis Horreorum.

1 CUm Annona in horreis congregetur, & à Susceptoribus suscepta custodiatur, necessarium videtur de horreis sermonem texere, & de Officio Susceptorum, seu Horreorum Præpositorum, & de forma suscep-

ceptionis Annonę non nihil dicere; & quid debeat observari in alijs rebus, quæ pro navium vsu à Præfecto Annonæ præstantur.

2 *Horreum.* Si quæramus Authores linguæ Latinæ, ab horrore quasi horridum dicitur propter asperitatem aristarũ; prisci enim fruges inclusas spicis cum aristis in granarijs condebant; ita Calepinus. Vnde solum veniebat horreum vocandum, quod spicarum custodiæ deserviebat, *albondiga, ò granero.* Varro horreum ab *hordeo* tractum existimat. Apuleius horreum putat repositorium non solum frugum, sed & aliarum rerum pretiosarum sepositarum ad quotidianum vsum. Virgilius repositorium omniũ frugum, *in Georg.*

Illius immensæ ruperunt horrea messes.

Iurisconsulti horrea frequenter vsurpant pro repositorijs mercium, & rerum pretiosarum, & probatur *ex leg. 5. ad exhibẽd.* ibi: *Si quis merces, quas vehendas conduxit, in horreo posuit.*

3 Quo ad nostrum institutum pertinet, horreum accipitur pro repositorio non solum Annonæ, sed & aliarum rerum navibus deservientium, quæ vulgò nuncupantur *Almacenes*, ò *Atarazanas*, in quibus reponitur omne id, quod curæ Præpositorum, eorumque ratiocinio traditur. Sic accipitur *in leg. 1. 5. 11. & 13. Cod. Theod. de erogat. milit. Annonæ.*

4 Omnes species tàm annonariæ, quàm horreaticæ, & tandem aliæ navibus, earumque vsui, & quotidiano labori inservientes à Præfecto Annonæ emuntur, traduntur que Susceptori Generali, seu Horreorum Præposito, apud nos Hispanice *Tenedor de bastimentos*, qui

eas

eas custodit, & ratiocinio earum tenetur, & (vt Romanorũ vocibus vtar) *numerationibus obligatus remanet*; *ita lex vnica, Cod. de quadrim. brev.* Ex quo penes illum resultat ratio dati, & accepti, id est, *cargo, y descargo*, de omni specie tum navibus, tum Militibus, alijsque Annona gaudentibus præstanda, *leg. 2. & 3. lib. 9. tit. 19. Novæ Recopil. Indiar.*

5 Et vt penitius, & curiosius hæc materies cognoscatur, eius minutias referã. Statim ac Præfectus emit aliquam speciem horreariam, iubet illam extrahi è domo domini, & Susceptori tradi, & in scriptis iubet Susceptori receptionem præstare, hoc est, *recibo*, ad tergum ipsius iussionis Præfecti, referendo sigillatim, non solum species, sed & numerum specierum, si emptio sit numerica; si autem emptio sit ponderosa, receptio sit habita ratione ponderis; & si mensurata, habita ratione mensuræ. Hanc susceptionem suam Susceptor subscribit; & inde resultat pro eo, & contra eum ratio dati, & accepti, *cargo, y descargo, leg. 3. lib. 9. dict. tit. 19.* quod ita etiam servabatur apud Romanos *leg. Diu; 7. Cod. de Suscept. lib. 10.* Post hæc venditor dominus illius speciei iam traditæ, & in horreo repositæ iterum ad Præfectum recurrit receptionem Susceptoris ostendens, venditionem, & emptionem illius speciei, seu specierum tunc perfecturus, conveniendo de pretio cum Præfecto, alijsque Ministris ad id deputatis. Sed quia de hoc fortè alibi, hic non immoror; cum propositi præsentis solum sit, scire modum, quo resultat ratio dati, & accepti, *cargo, y descargo*, pro Susceptore, & cõtra eum; & quid, qualeque sit eius Officium cir-

circa Annonam. Quod continetur, & sufficienter explicatur *dict. leg.* 3. *lib.* 9. *tit.* 19. *dict. Recop. Ind.*

6 Non erit extra assumptum differentiā Horreorum, sicut & Susceptorum breviter proponere. Susceptores alij sunt generales, alij particulares, Perez *ad titulum de Suscept.* Horrea similiter alia sunt generalia, alia particularia. Horrea gēneralia sunt, ex quibus omnes naves, vel Magistri earum Classem Regiam componentes recipiuntAnnonā, omnesque res earum vsui necessarias. Hæc horrea generalia ad Susceptorem Generalem, *Tenedor de bastimentos*, pertinent, & sub illius custodia sunt.

7 Horrea particularia continent Annonam particularem pro aliquo hominum genere, v. gr. huius, aut illius, & vniuscuiusque navis, quæ horrea vulgò nuncupantur, *pañol, y despensa*, hæc pertinent ad Susceptores particulares, seu Magistros, *Maestres*, dictos à Romanis *Optiones*. Hi in his horreis servant, & custodiunt omnem Annonam victui Militum, & navi servientium impositam, iuxta *leg.* 36. *lib.* 9. *tit.* 16. *Nova Recop. Ind.* Particularibus Susceptoribus Annona traditur pro tempore determinato: si in Portu, pro mense; si ad iter faciendum classe iter arripiente, pro opportunitate tēporis, spatio navigationis prudenter considerato, & regulato à Præfecto cum Domini Proregis consensu; perpenso etiam tempore necessario pro itinere, statione, & regressu, iuxta *leg.* 2. *lib.* 9. *tit.* 17. & iuxta Præfecti titulum, seu diploma: *Les proueais por todo el tiempo que os pareciere convenir*. Istorum Horreorum cura, quod bene sint disposita, & annonariæ species non corrumpantur ad Visorem

Generalem pertinet, *leg.* 37. *eodem tit.*

8 Cognita hac Horreorum differentia, transeamus ad aliqua scitu digna, & annonam tangentia. In primis querẽdum. Vtrùm Annona gaudentes posſint eam in ipſis Horreis relinquere, vt in tempore ſui placiti petãt?

9 Ante reſolutionem ſuppono, & pro certo tenendum. Frumenta privatorum, ſeu merces in horreis publicis minimè poſſe ſervari, *leg. Frumenta*, 8. *Cod. de Suſcept. lib.* 10. Ne commixtione locus detur fraudi, Petrus Bellinus 7. *part. tit.* 6. *num.* 3. Quod à nobis etiam eſt praxi obſervatum. Neſcio qua lege iubente? Sed vbi ratio legis eſt, ibi & ipſa lex loquitur Tuſch. *tom.* 6. *litt. R. concluſ.* 31. *&* 32. Præterquam quod vbi adeſt ratio naturalis, quærere legem eſt intellectus infirmitas, *cap. conſuetudo, diſt.* 1. Argumento ducto à Quæſtoribus, qui acriter iubentur non cuſtodire pecunias privatas in Arcis Regijs, Solorz. *Polit. Ind. lib.* 6. *cap.* 15. *fol. mihi*, 1026. *col.* 2. qui affert, & refert duas Regias Schedulas, vnam datam 4. *Auguſti* 1603. aliam 1. *Aprilis* 1612. tales commixtiones prohibẽtes. Et cum commixtio pecuniarum ſit minor, & minoris periculi, quam commixtio corruptibilium; vbi fraudis corruptio facilis facilè intrare poteſt, potiori ratione commixtionem corruptibilium prohibebũt, valido tunc maximè argumento de minori ad maius, *cap. ſi ergo*, 8. *quæſt.* 1. *cap. ſi Paulus*, & ibi *gloſſa* 32. *quæſt.* 5. Tuſch. cum alijs, *litt. A. concluſ.* 501. *num.* 10. Surdus *de alim. tit.* 9. *quæſt.* 1. *num.* 11.

10 Caſus præſentem difficultatem movens accidit, quando aliquis Annona gaudens, ea ad victũ non

non eget; quia habet aliunde, quo se alat. An posſit iſte oblatas ſibi annonarias ſpecies non petere, & in horreo relinquere, & tempore ſibi opportuniore, nempè caritatis, petere, & vendere?

11 Reſpondeo neutiquam poſſe, immò & debere puniri, ita *leg. 6. & 7. Cod. de erogat. leg. 1. & 20. Cod. Theod. eod. tit.* Ex noſtro iure, *leg. 23. lib. 9. tit. 16. lex 33. lib. 9. tit. 17. dict. Recopil.* quam explanabo.

12 Tria graviſſima de hoc orta inconvenientia mihi experientia monſtravit, quibus vt occurratur, neceſſe eſt, non ſolum ianuam claudere, ſed pœnis gravibus in eos animadvertere. Primum. Si Annonam retardare, & ſervare in Regijs horreis permitteretur aliquibus, v. gr. ea non indigētibus, idem vellent, ea indigentes ſibi ipſis licere, & cupiditate allecti venderent alimentum ſibi ipſis neceſſarium, cupiditati potius auſcultantes quam ſami, ex quo ieiuni manerent, & imbecilles, & militiæ, & laboribus non ſufficientes, quæ gravia ſunt damna, & Militibus navigantibus irreparabilia, nō habētibus ibi, vnde aliunde alantur.

13 Secundum inconveniens. Si ſpecies annonariæ diu vltra debitum ſervari permitterentur, corrumperentur, & vitiarentur, argumento *legis 35. tit. 16. dict. lib. 9.* cum corruptibilium ea ſit natura, & diuturnum tempus ipſis ſit infectiſſimus hoſtis. Et ex corruptione duo incommoda disiunctivè emergere neceſſarium eſt, vt ait Gotofred. *ad dict. leg. 1. Cod. Theod. de erogat.* nempè, vt vel has corruptas ſpecies iterum Militibus præſtari contingat. Vel ſanè ſi Milites eas tanquam corruptas accipere recuſarent,

Prouinciales iterata collatione grauarentur, id est, denuò species annonarias conferre cogerentur. Sunt voces legis 1. *Cod. Theod. de erogat.* iuxta ea, quæ suprà dixi, nempè tempore Romanorum Annonæ providẽtiam fieri à Provincialibus, *leg.* 15. *Cod. Theod. de Annon. & tribut. leg.* 2. *Cod. de exact.* Cumque apud nos non Provinciales, sed Regium Patrimoniũ Annonam provideat, inconveniens præfatum contra Patrimonium Regium resultat. Ideoque fieri, aut permitti à Præfecto Annonæ nullatenus debet; nec à Visore, *Veedor*, cuius vigilantiæ præcipuè hoc incumbit ex Regia voluntate, *dict. leg.* 23. *tit.* 17.

14 Hoc inconveniens priusquã à Romanis prævisum, & præcognitum fuisse scirem, praxi manifestum, & certissimum vidi. Casum referam vlteriores adhuc malitias à Romanis non prævisas continẽtem. Quatuor naves Regiæ onustæ thesauro Regio, & thesauro particularium pro nundinis in Portubello secundum solitum celebrandis, ad Portum Panamensem appulerunt. Invenerunt ibi Regiam Schedulam enixè duabus iubentem arripiẽdam statim navigationem versus Novam-Hispaniã, vt acciperent Proregem Peruanum in Mexico tunc degẽtem in Limam transportandum. Duo Magistri duarum navium assignatarum ad iter petierunt à Generali classis vlteriorem Annonam saltim pro vno mense. Hoc concesso, cum Præfectus, meas vices, & meum munus in illa classi tenens, emere res annonarias voluisset, fuit enixè exoratus, vt non aliunde panem biscoctum, aliasque annonarias species emere tractaret, quam ab ipsis Militibus, qui sufficientes re-

residuas in horreo repositas habebant, quas ipsi appellabant *de ahorros*.

15 Ita factum. Milites pretium receperunt, seu adæratam Annonam cõtra dicta in cap. 4. Discesserunt duæ naves versus Portum proximiorem Mexico, qui dicitur *Acapulco*, & statim Milites renuerunt ipsas species annonarias accipere, dicendo eas iam corruptionem pati (quod est inconveniens à Romanis antea prævisum, vt ait Gotofr.) Adeò extulere voces, vt ipsumProregem adierint, exigentes novam Annonam fieri (quod est secunda pars primi inconvenientis.) Annuit Prorex benignus eorum malitiæ inscius. Et protinus adæratam Annonam recipere voluerunt, & obtinuerunt à Magistro navis, qui propter mortem Vice-Præfecti ex decreto novi Proregis curam Annonæ suscepit. Qui paucissima addens, nempè pauco panis biscocti, paucisq; alijs speciebus annonarijs emptis, supposita de novo emptione, & provisione totius integræ Annonæ pro regressu, & correspõdentis abundanter, & integrè omnibus ea gaudentibus, iter famelicum arripuerunt. Ieiuni, & viribus exhausti navigaverunt, & Regale Patrimonium magnos illis sumptus propinavit.

16 Adhuc restant inconvenientia non prævisa à Romanis, quæ ibi acciderunt. Omnes supradictæ malitię patefactæ fuerunt ratione aliquorum, qui non acceperunt pretium integrè correspondens Annonæ in horreo relictę, & in ipsa navi fuerunt rixæ multæ: Contra Magistrũ insurrexere multi, vel pro pretio non assecuto, vel pro parte pretij, vel pro fraude, de qua querebantur. Milites cum scandalo obedientiæ Mi-

litaris inobedientes extitere, ira adeo tenaci, vt finita etiam navigatione, Limæ conati fuerint Magistrum occidere, eiusque domum eo lethali animo intraverint (quod est novum, & maximum inconveniens non cognitum à Romanis, & à nobis, à cupiditate, & malitia adauctum.) Hoc epiphonema Tulij *lib.* 1. *Officiorum*, hunc casum claudat: *Nam & Princeps latronum, nisi æqualiter prædam dispertiat, aut interficietur à socijs, aut relinquetur.*

17 Ex quibus omnibus deduco hoc primum inconveniens esse gravissimum, vtpote fontē omnium, quæ in casu præcedenti fuerunt secuta, penuriæ, & imbecillitatis Militum, sumptus Regij, rixarum lethalium, inobedientiæ Militaris, &c. Ergo nec à Præfecto, nec à Ducibus, nec ab vllis qualiquali dignitate pollentibus vlla excogitabili ratione permittendū. Vnusquisque tempore cōgruo, & assignato debitas sibi recipiat Annonas, & vt verbis *dict. leg.* 6. vtar: competenti tempore de horreis consequatur. Curam maximam de hoc adhibeat Visor Generalis, cui incumbit ex munere iuxta *dict. leg.* 23. *tit.* 17. *dict. lib.* 9. *Cuide el Veedor, que à todos se dèn sus raciones enteras, sin falta r cosa alguna, sino fuere en tiempo de necessidad.* (De his vltimis verbis posteà dicam, egent enim explicatione.) Sed ex præcedentibus sufficienter colligitur, hoc fuisse rigidè statutum, non in favorem Militum, sed Horreorum.

18 Oppones *legem* 33. *dict. lib. Novæ Recopil. tit.* 17. vbi à Rege nostro conceditur facultas Militibus, omnibusque Annona gaudentibus vendendi suam superfluam Annonam, ibi: *Tenga cuidado de ajustar los aborres de la gēte*

de

de mar, y guerra, del pan, y vino. Et post pauca: *Para que constando por su certificacion, lo puedan vender en las Indias*. Idem statuitur de vino *in leg. 29. eod. tit.* Ex quibus duę conclusiones contra nos deducuntur. Prima: Ergo Milites, & Annona gaudentes possunt relinquere species annonarias in horreis. Secunda: Ergo Milites, & Annona gaudentes possunt vendere residuum Annonæ, & non solum cuilibet, sed & ipsi Regi, eiusque Ministris.

19 Fortia essent argumenta, si ex ipsorum visceribus, & attenta ratione prędictarum legum, quæ semper debet attendi ex *lege Cum pater*, §. *Dulcissimis cum vulgatis, de legat. 2.* non resultaret, & appareret totius doctrinæ cognitio. Debemus constituere differentiam inter superfluum, seu *aborro* propria authoritate in horreo relictum, & inter superfluum, mandato, & iussu Generalis, seu Ducis maris, & belli, ad quod respiciunt vltima illa verba *dict. leg. 23.* iam relatæ: *Si no fuere en tiempo de necessidad, quando con parecer, y acuerdo de los Capitanes, y Ministros de la Armada, lo ordenare el General*; & *leg. 37. tit. 27.* In primo casu non licet vlli Annonam propriam in horreo Regio relinquere, nec licet vendere, & sic intelligẽdus textus *in leg. 6. Cod. de erogat.* & ibi Antonius Perez *num. 5.* Petrus Bellinus *dict. part. 7. tit. 6. num. 3.* & sic intelligo verba relata *d. leg. 23.*

20 In secundo casu licet relinquere, & vendere, quando scilicèt illud superfluum, seu *aborro* superfuit, ex eo quod tẽpore competenti Superior iussit Annonam debitam minorari, quod iustè, & prudenter aliquando fit. Ponamus exemplum: quãdo probabiliter timet na-

navigationem plus duraturam propter contrarietatem, vel defectum ventorum, & Annonam præparatam defecturam, *dict. leg.* 37. & finalia verba *dict. leg.* 23. In hoc casu quilibet Annona gaudens non solum potest partem Annonæ relinquere, sed nec potest non relinquere, cum prohibeatur eam integram recipere, & petere quamvis velit; nec ab Optione, seu Magistro id obtinere poterit cum de hoc prohibitioné habeat.

21 Finita autem, & completa tali navigatione, omne illud residuum Annonæ minoratæ in cõflictu, tanquam Militibus debitum redintegratur, & præstatur in ipsis horreis, & potest à quolibet illorum tanquam res propria cuilibet vendi. Sic venit intelligendus textus *in dicta leg.* 33.

22 Confirmatur hæc resolutio secundi casus. Ex eo quod hoc superfluum est iustificandum in Officio Visoris, & sine tali interventione eis nõ permittitur, nec intelligitur superfluum remanere, ibi: *Auiendo tomado la razon el dicho Veedor, para que ajuste si conforma con el ahorro hecho con su intervencion.* Ex quo manifeste deducitur superfluum non posse manere in horreo propria authoritate, *dict. leg.* 1. *Cod. Theod. de erog.* ibi: *Species debitas in horreis derelinquere non oportet.* Vide *leg.* 128. *tit.* 15. *dict. lib.* 9. omnia hæc puncta comprehendentem, quam omitto, vt brevitati consulam.

23 Tertium inconveniens refertur *in leg.* 7. *Cod. Iustin. de erogat.* quæ est 20. *Cod. Theod. eod. tit.* & est huiusmodi: Tempore fertilitatis non petunt Annonam, & tẽpore caritatis eam petunt, & appetunt. Ex quo sequebatur apud Romanos maior sumptus Provincialium, apud

apud nos maior sumptus Patrimonij Regij; cumque iste maior sumptus à Romanis debuisset vitari, *dict. leg.* 1. *Cod. Theod. leg.* 8. *in princ. Cod. Iust. eod. tit.* & à nobis sit vitandus, & eatenus à nostro Rege commendetur, *in leg.* 2. *&* 22. *dict. lib.* 9. *tit.* 17. ideo merito dixerunt Romani, & à nobis est dicendum, hanc calliditatem nulla ratione esse permittendam.

24 Ad hunc locum videtur pertinere prolixa quæstio, quam tractat Perez *ad dict. leg.* 7. cui suppeditat textus *in leg. Vinum, de rebus cred. & leg.* 59. *de verbor. oblig.* & ibi Cujat. An, scilicèt, quando species annonaria debetur, & pretio est solvẽda, solvi debeat pretium, respectivè ad tẽpus obligationis, an litis contestatæ, an sententiæ Iudicis? eam tamen, vt otiosam, intactam relinquo, eo quod nemini adæretur Annona ex retardata voluntate, vel fraude ipsius, non petentis tempore opportuno. De horreo Regis non nisi species annonariæ solvuntur. Pro retardatione fraudulenta Annonam Fisco applicari in pœnam dolosi vellem (vt apud Romanos) vt statim dicam: ergo reductionem ad pecunias distantissimam à nobis video, ideo quæstionem Perezij, vt ab horreo Regis distantem, relinquo.

25 Hoc tertium inconveniens practicarum aliquando experior. Remedium desidero. Exemplum ponam. Tormentarij bellici, vulgò *los Condestables de la Artilleria*, petunt à Præfecto Annonæ pro quolibet mense quartam partem amphoræ sevi ad sevandum candelas pro luce nocturna illius loci, vbi apparatus tormentorum bellicorum ab ipsis custoditur. Quo iure, lege, aut titulo hoc ipsis

ipsis assignetur ? nescio; non inveni, consuetudinem allegant, quam inveni. Et de facto ipsis ab Officio Visoris Generalis præstatur pitaccium, seu *poliza*, quod est instrumẽtum legitimum ad petendum legitimè à Præfecto. Et quamvis non accendatur lucerna sevi per totum annum in horreo illorum bellico (sicut de facto non accenditur, quia in Portu summè pacifico distantissimo ab hostibus, ille saltim locus nulla indiget vigilia) sevum tamen petitur. Poterat suscitari quæstio: An Præfectus certioratus de tali, non lumine, posset denegare talẽ mensuram sevi ? Et licet ex vulgatis possem resolvere contra eos, *ex leg. Adigere*, §. *Quamvis*, *ff. de iure Patron. cap. cum cessante*, 60. *de appellat.* cum cessante causa, & effectus cessare debeat, &c. non moror in ea, quia non est præsentis tractatus, nec mei muneris. Solum testificor hanc speciem præstari.

26 Vnum dicam, quod est presentis instituti: Dicam industriam (ne dicam calliditatem) quà hæc Annona petitur. Non petitur suo competenti tempore, hoc est, quolibet mense (fortè quia est Annona superflua) eam retardatam relinquunt, fortè vsque dum caritas veniat. Non est Præfecti malitia; multoties iam accidit, vt à me expostularetur, immò & extorqueretur talis Annona per annum retardata, tempore caritatis, quando difficulter hæc species è Regno Chilensi satis longinquo transvehi potest. Tunc, inquam, petunt à Visoria Generali pitaccium, *poliza*, pro illa specie retardata per annum, & plus. Et colorant retardationem fidelitate; se, dicunt, suppleviße illas amphoras pro illo tempore

pore in pitaccio contēto.

27 Non sunt apud nos pœnæ impositæ pro legum Romanarum transgressione (& certè debuissent esse impositæ.) Nec ego, vt Præfectus, Iudex sum constitutus harū calliditatum. Quid, ergo, est mei muneris, vt Præfecti, & vt hæc scribentis? Duo. Vnum, referre, quomodo me geram vt Prefectus inter has fraudes. Aliud, referre, vt de hoc scribētem, pœnas his dolis à Romanis positas.

28 Quod semper feci, & faciendum iudico, est hoc. Quando me vrgent cum istis pitaccijs, *polizas*, Annonæ voluntate privata retardatæ, statim iubeo illis præstari speciem annonariam petitam pro præsenti mense, sed pro præteritis, fertilitatis, & abundantiæ spero, & eos acriter expostulantes, suaviter sperare debere, suaviter, vel acriter respondeo. Ad Annonam mensis præsentis habent ius; ideo eam non nego. Et si somniant habere ius ad retardationē, vt maius lucrum tempore caritatis percipiant, cur non habebit Rex idem ius ad sperandum tempus abundantiæ, vt illis solvat cum lucro, quod illi retardaverunt in fraude? Invigilent super hoc posteri Præfecti.

29 Nunc de pœnis pro his calliditatibus à Romanis impositis (& est secunda pars principalis resolutionis, dixi enim: *Immò & debere puniri*) Fiscus sibi vindicabat Annonas dolo retardatas, nullam eis partem relinquēs, *lex 7. Cod. de erogat. milit.* ibi: *Aut si perceptionem suā, ac si debitam, studio voluerint protelare, id quod competenti tempore minimè perceperint Fisci nostri commodis vindicetur.* Et *leg. 7. eodem: Nulli Militarium pro his Annonis, quæ in Prouincijs delegantur, repudiata*

ad tempus specierum copia, & inopiæ occasione captata, pretia liceat postulare; ita vt si quis propter anni abũdantiam suscipere oblata neglexerit, ac posteà impositis pro necessitate rerum pretijs repudiata taxaverit, neque id, quod contra hanc legem expetit, sinatur exigere; neque id, quod accipere dissimulaverit, consequatur. Argumento *leg.* 7. *Cod. de Agric. & censib.* & ibi Penna *num.* 1. & 5. *cap. qui contra, de regul. iur. in* 6.

30 Si autem Actuarius, seu illi qui pitacciũ, vel polizam præstare tenentur, moram fecerint, & tempore congruo petenti non præstiterint, indeque caritas superveniat, debet periculo ipsius Actuarij supervenire, & ab eo damnum extorqueri, *leg.* 5. *Cod. de erog.* quæ est *lex* 16. *Cod. Theodos.* & concordat *lex* 11. & 13. *Cod. Theod. eod. tit.* argumento *leg.* 37. *lib.* 9. *dict. tit.* 16. *Novæ Recop. Ind.* Hoc non eveniet in classi Peruana, & Portu Callai, vbi semper poliza præstatur eodẽ die, quo pet itur.

CAP. VI.

De Ratiocinijs Susceptorum, tàm vniuersalium, quàm particularium.

1 Cognita iam Susceptorum natura, & differentia, eorumque obligatione ad ratiocinia præstanda iuxta illud Lucæ cap. 6. *Redde rationem villicationis tuæ.* Et *cap. qualiter, & quando, el segundo, de accusat.* Escobar *de ratiocin. in præf. cap.* 1. *num.* 5. transeamus ad tempus, quo ea præstare tenentur. Circa quod, magnam desidiam committi video à ratiocinia sumentibus. Sed cum mei muneris non sit vllum sugillare, super hoc taceo; & solum attingam, quod à Susceptoribus tum vniversalibus, tum particulari-

ribus in rationibus reddendis servari debet, non solum ex Romanorum legibus, sed ex nostris peculiaribus, vt boni administratores habeantur, *leg. Quidam, ff. de reb. dub. cap. quatuor*, 12. *quæst.* 3. *cap. quod autem*, 22. *quæst.* 2. Virg. *Exitus acta probant.* Et bene operanti: *Melior est finis, quam principium*, verba Ecclesiastici *cap.* 7.

2 Forsan hic tractatus alienus à Præfectura videbitur, cum Calculatores Tribunalis dicantur circa ratiocinia navare operam, sintque Iudices privativi, vt videre est apud Escal. *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 2. Solorz. *lib.* 6. *Polit. cap.* 16. *& tot. tit.* 1. *lib.* 8. *Nov. Recop. Indiar.* Sed ex dicendis constabit proprium esse, & vtilissimum Regi, & Præfecturæ. Multoties notavi aliquas species annonarias deficere tàm in horreis vniversalibus, quàm in particularibus, non propter defectū providentię Præfecti, sed propter retardationem calculationum, & omissionem in ratiocinijs petendis. A Præfecto emēdum est omne, quod in Annona deficit, sivè consumptum iustè sciatur, sivè Susceptorum malitia consumptum vehementi suspicione reputetur. Minor in Susceptoribus foret malitia, si maior in Regijs Calculatoribus foret vigilantia: minusque ipsi auderent, si frequentius ad ratiocinia premerentur. Non potest Præfectus non zelare sumptus multiplicatos Regis ex eo, quod ratiocinia non petantur. Aliquandó species annonariæ intrant, & nescio quo miraculo evanescunt. Durum est Præfectum teneri ad reintegrationem specierum non iustè consumptarum, absque eo quod de ea consumptione petatur ratiocinium.

3 Multoties Præfectus sup-

ſupprimens voces, de eadem proviſione dupliciter inſudat. Sciatur, quis in ſuo munere deficit, & quis illud implet. Certè ſi eſſet in viridi, & practica *lex* 41. *lib.* 9. *tit.* 24. *Nov. Recop. Ind.* (curioſus eam legat: ego in libro primo eam retuli) non ſolū premerem, & inſtarem in Suſceptorum particularium ratiocinijs præſtandis, ac ſumendis, ſed & vociferarer in exacta obediētia legibus de hoc loquentibus, & à me modò referendis præſtanda.

4 Bonus Adminiſtrator (vt ex Molineo refert Eſcobar *de ratiocin. capit.* 2. *num.* 5.) eſt, qui bonam, rectamque rationem reddit; qui volumina, cautiones, inſtrumenta actus ſui exhibet, & tradit, rationeſque legendas, percontandas, diſpungendas, atque exhibendas offert, *leg. Cum ſervus, ff. de condit. & demonſtr.* Huic adęquat diffinitio rationum reddendarum tradita à Baldo *in rubric. Cod. de fide inſtrum. quæ dati, & accepti commemorationem cōprehendit*, & approbatur noſtro iure Regio *leg.* 3. *tit.* 5. *lib.* 9. *Nov. Recopil. Caſtel.* ibi: *Que las cuentas ſe hagan por cargo, y deſcargo.* Vt ratiocinij, ſeu rationis redditæ magis eluceſcat iuſtitia, quæ in veritate, & rectitudine conſiſtit, Eſcobar *cap.* 1. *n.* 6. ad cuius comprobationē ſpectat *lex* 26. *tit.* 12. *part.* 5. ibi: *Dandoos cuenta verdadera, y derecha.* Ideo Suſceptores tàm vniverſales, quàm particulares, debent ſuorum munerum ratiocinia præſtare per commemorationem dati, & accepti, *cargo, y deſcargo* taliter, vt vnicuique partitæ, aut parcellæ (ſic vocantur ab Eſcobar *cap.* 13.) veritas, & rectitudo dati, & accepti correſpondeat. Prius de rectitudine *Dati.*

5 Ad rectitudinem ergo,

ergo, & veritatem omnium partiarum *dati* in Susceptorum ratiocinijs, statuerunt Romani, vt ante indictionis tempus, hoc est, antequam à Provincialibus (qui provisionē, vt dixi, faciebant) necessarium Militibus indiceretur *leg.* 1. *Cod. Theod. de indict.* Breves mitterentur ad Principum scrinia, iuxta quos Breves, Susceptor species annonarias erat recepturus; ex quibus satis liquido apparebat, & constabat tota rectitudo accepti.

6 Hoc totum, quod à Romanis tempore indictionis observabatur cum Susceptoribus, vt liquidatio accepti per eos constaret ex Brevibus, hodie à nobis cum Susceptore Generali, *Tenedor de bastimentos*, practicatur. Nam cum totum, quod providetur, constet per emptionem, & venditionem, nulla emptio celebratur à Præfecto cum specierum dominis, quin prius de rerum emptarum receptione cōstet ad terga ipsius mandati Præfecti, nomine proprio Susceptoris firmata. Hæc susceptio ipso die statim notatur in Officijs Actuarij, & Calculatoris stipendij, vulgò, *se toma la razon en los Oficios de Veedor, y Contador del sueldo.* Vbi primum ratio accepti constat *leg.* 3. *tit.* 19. *dict. lib.* 9. *Novæ Recop. Indiar.* Et instrumentum pro solutione à Præfecto datum dominis specierum venditarum, non potest solvi, nisi notetur eius ratio in Tribunali Calculationum, *Tribunal de Quentas*, in quo residet potestas, quæ in Præfecto Prætorio erat, & liquidatio accepti per eum satis liquido constat.

7. *Acceptum* autem habet particularis Susceptor per propriam susceptionem. Prima susceptio est, per inventarium navis, omniumque navi deservien-

vientium, omniumque tormentorum bellicorum cum proprio apparatu ad eorum servitium. Quod quidem bene observatur, & prolixè quoties navis novo Susceptori committitur, fitque ab omnibus nostris Officijs tàm Stipédij, quàm Præfecturæ, & coram Tabellione Regij Ærarij, propriaque manu Susceptoris subscribitur. Vnde primum *acceptum* eis resultat. Hoc etiam practicatur cum vniversali Susceptore, *leg.* 2. *tit.* 19. *lib.* 9. Quod, *inventarium*, dicitur in vtroque.

8 Secunda susceptio fit, quando vel ad iter faciendum, vel in Portu pro Annona gaudentibus in eo, suscipit iussu Præfecti Annonã, & cæteras species vsui navium necessarias, à Susceptore vniversali: & hæc susceptio propria manu firmata, quæ in *Datum* proficit Susceptori Generali, sibi in *Acceptum* sistit. Et singulis diebus crescunt, & augentur hæ partitæ ad *acceptum*. Et non possunt illi tradi absque interventu Visoris Generalis, seu Actuarij, *leg.* 43. *tit.* 24. *dict. lib.* 9. *leg.* 44. *eod. tit. leg.* 16. *leg.* 36. *tit.* 16. *eod. lib.* Et notantur in Officijs Stipendij, sicut dictum est de vniversali Susceptore. Et sic ratio *accepti* clarissima evadit. Si in Portubus stationum, vbi naves aliquantulum quiescunt, aliquid aliud susceperint, idem ordo servatur, *leg.* 125. *tit.* 15. *dict. lib.* 9.

9 Iam constituto *Accepto* tàm à Romanis, quã à nostris legibus, ad *Datum*, seu *Descargo*, transeamus. Romanorum tempore Susceptor vniversalis per authenticum pitaccium, seu polizàm ab Actuarijs confectam Optionibus species annonarias tradebat: hi autem Optiones secundum ipsum pitaccium Militibus per capita distribuebant, *leg.*

leg. 11. 13. 16. 24. & 28. *Cod. Theod. de erogat.* Si autem absque pitaccio aliquid præstabant, eorum damnis supputabatur, *dict. leg.* 11. Sicut è contrario, si amplius debito prorogabant, dum tamen illud amplius esset in dicto pitaccio contentum, extra culpam erat Susceptor, & contra Actuarios lex sæviebat, *leg. Excellentia*, 9. *Cod. Iust. de erogat. milit. Annon.* quæ est 24. *Cod. Theod. eod.* & ibi Lucas de Penna *ad dict. leg.* 9. Statimque ad Principis scrinia Breves mittebantur continentes modum erogationis factæ, vt diligentius veritas exploraretur, *dict. leg.* 9.

10 Insuper ad eruendam profundius veritatem, & rectitudinem Dati respectu Susceptoris, alia parilis notitia ab Officialibus Brevium præstabatur Officio Rectoris Provinciæ. Et ita, antequam ad iudicium Præfecti Prætorio, penes quē erat examinare rationem dati, & accepti (quæ hodie residet in Tribunali Calculatorum) Susceptores adirent, omnes parcellæ dati, & accepti examinabantur sub vtrorumque præsentia, id est, Apparitorum Ducis, & Officialium Rectoris Provinciæ, & cognoscebant an correspondcrent parilesque essent, *leg.* 1. *Cod. Theod. de quadrim. brev. lib.* 11. *tit.* 25. Sed quia illius verba melius explicant propositum, illa referam: *Quotiescumque quadrimenstrui Breues ab Apparitoribus Ducianis ad sedem vestræ celsitudinis destinātur, parilis notitia Prouinciali quoque tradatur Officio, vt prius quam ad iudicium vestrum examinanda tradantur, ibidem sub vtrorumque præsentia conferantur, vt qui perperam vel petita, vel erogata notauerit, confutetur, ne discordanti Breuium modo in eorum damnum expensa*

pensa reuocetur, qui susceptionibus, vel nominationibus obligati, quæ Militum nomine petuntur, exoluant; nec imputari sibi, quod exoluerint, congemiscant. Ex qua conferentia veritas, & rectitudo maximè clarescebat Gotofr. *ad dict. leg.*

11 Nil novi invenio apud Romanos, quod nõ sit Regijs nostris legibus stabilitum. Vtinam essent in viridi, & vigilantissima observantia! Plus vtilitatis Gazæ Regiæ correspondere. In primis constitutum est, vt Susceptori vniversali in *Datum* non accipiatur nisi, quod iussu, & mandato Præfecti distribuitur, *leg.* 4. *tit.* 19. *dict. lib.* 9. & non, quod per ordinem simplicem, hoc est, *poliza*, ò *vale*, sed per instrumentũ omnibus numeris, & circunstantijs perfectũ, quod apud nos vocatur *Despacho en forma*, *leg.* 58. *tit.* 8. *dict. lib.* 9. annotata ratione in Officijs Stipendij, *dict. leg.* 4. Vt ex hac ratione non solum constet datum à Susceptore, sed & correspondentia Annonę à Præfecto iussæ præstari Optionibus, cum illo pitaccio ab eisdem Officijs præstito. De quo *in cap.* 3. *de erogat.* ad explicationem Optionum dictum habeo. Ex his ratio dari in Susceptore vniversali resultat. Omnes hæ rationes debent peti à Tribunali tempore rationum à Susceptore reddẽdarum, vt in loco Brevium à Romanis desideratorum, *dicta leg.* 9. subrogentur.

12 Quoad Susceptores vero particulares. Vt veritas, & rectitudo *Dati* ab eo indagari possit, maiori exactione, & cura opus est; ideoque de hoc prolixius tractabo. Nam cum non dependeat solum ex iussa, sed ex iustificata præstatione, malitia cum iustificatione ob difficultatem summam huius

huius negotij plerumque confunditur. Accipiunt v. gr. aliquando Annonam pro tempore determinato ad distributioné per capita,& divisionem, v.gr. inter centum. Si solum manent quinquaginta, Annona superaddita censenda est. Et cum legibus caveatur, ne hoc fiat in Optionum, sivè Magistrorum navium proventum, & Gazæ Regiæ detrimentum, quæ duo connexa sunt, ratione cótrariorum, quorum eadé semper est ratio secundum Logicos, & connexorum idem iudicium secundum iura, *leg.* 3. §. *Iudicio contrario, ff. de contraria act. leg. Quod inde, ff. ad leg. Aquil. leg. Cum actum, ff. de negot. gest.* Escob. *de ratiocin. cap.* 13. *num.* 11. & ex alijs, inde prelibare, & referre oportet leges disponentes circa datum Optionum iustificandum.

13 Acceptis Annonis à Magistro navium, seu Optione de manu Susceptoris Generalis omnibus ijs circunstantijs, de quibus suprà, & pro determinato tempore, & pro numeratis personis; accidit aliquando, quod aliqui ex numeratis non sint, nec in navi pergant; tunc iubet *lex* 54. *tit.* 15. *lib.* 9. solum præstandam Annonam residétibus effectivè in navi, ibi: *A los que actualmente estuvieren en las Naos*; adeo vt quanquam venia Generalium discesserint, Annona non potiantur, *leg.* 11. *tit.* 16. *dict. lib.* 9. ibi: *Con licencia del General, ò sin ella, se ausentaren, ò faltaren, y quantos dias; para que se tenga buena cuenta en las raciones que no se les huvieren dado, y que no se aprouechen dellas los Maestres.* Hæc autem cura pertinet ad Actuarium, seu Visorem Generalem, *Veedor General*, qui debet curare, vt Tabellio, aut navis

Scriba cum Visoris interventu super hoc testimonium ferat, *dict. leg.* 54. ibi: *El Veedor con el Escrivano al tiempo de dàr las raciones, los quales assentaràn en sus libros las que aquel dia se entregaren, y si fueren por entero. Y si algunas no se huvieren dado, ò algo menos. de las que se dieren dàr, haganse las baxas.* Et *dict. lex* 11. ibi: *Assentarà el Veedor en su libro los Soldados, Oficiales, ò Gentiles-hombres, que con licencia,* &c.

14 Aliquando Annona gaudẽtes ægrotant. Ex tunc, ordinariam Annonam non accipiunt, sed extraordinariam pro infirmis præstitam ipsi sMagistris, quæ dicitur Annona de dieta, *leg.* 28. *tit.* 16. *dict. lib.* 9. Adeo, vt quamvis dicat Magister illum infirmum acceptam habuisse Annonam sani, in *datum* non accipiatur, *leg.* 52. *tit.* 15. *eodem lib.* Huius rei cura pertinet etiam ad eundem Actuarium, seu Visorem, ibi: *Y desde el dia que al enfermo se le diere dieta, el Veedor, y el Escrivano de Raciones lo asienten en sus libros, para que el Maestre no le dè otra racion, ni se le reciba en cuẽta, aunque diga averla dado.*

15 Alius casus etiam contingit, quem suprà tetigi. Si navigatio vltra solitum tempus prolongatur propter contrarietatem, vel defectum ventorum, & prudenter timetur Annonam defecturã, ius naturale dictat Annonam coarctari. Huic iuri naturali addit ius nostrũ, hoc debere fieri secundum prudentiam Generalis; & vbi non est Generalis, secundum prudentiam Ducis maris, mandato denique Gubernantis, mandato in scriptis præstito ante navis Scribam, & interventu, & cura Visoris. Vt ex tunc *datum* Magistri in illa quantitate coarctata ad-

admittatur, *leg.* 23. *dict. tit.* 16. *leg.* 37, *tit.* 17. ibi: *Si en el viage se fueren acabando los bastimentos por falta de preuencion, ò dilacion, ò por otras causas, el General mande moderar las raciones.* Et posteà: *Proueyendo auto ante el Escriuano, de que tomarà la razon el Veedor, y el Escriuano de Raciones, para que desde aquel dia no se reciba en cuẽta al Maestre mas cantidad, notando las cosas, y especies en que las diere.* Idem iubetur in instructione Generalium, *cap.* 51. relatam *dict. tit.* 15. *lib.* 9.

16 An autem illud residuum, vel illa pars Annonæ, quæ iustè Militibus, & Annona gaudẽtibus propter imminentem necessitatem fuit decurtata, post finitam navigationem debeat reintegrari, & ex Ærario Regio solvi? In disputationem non traho, quia ad Præfecturam non pertinet. Pro affirmativa stat dict. caput instructionis. Pro negativa in classe Peruana stat consuetudo. Ita vt si cum Annona trium mensium, v.gr. navigationem quatuor mensium conficiant, nil eis solvitur, nec aliquid pretij eis vidi vnquam distribui.

17 Ex hucvsque dictis, si bene observarentur, integra, & vera iustitia omnium parcellarum *dati* à Magistro, seu Optione erueretur, & cognosceretur. Sed non video hæc in praxi observari, cum nec Scribam soleant naves habere; & quamvis Scriba adsit, testificari de hoc recusat, credens hoc à suo Officio alienum, & plus zelant Magistrorum lucrum, quã Regis. Et certè dolens de pluribus circa hoc desidijs, hoc vnum dico. Non debuisse admitti Magistros ad ratiocinia à Tribunali Calculatorum, nisi, ante omnia, exhibitis, & examinatis illis ratio-

nibus, seu Brevibus, vtpote præstantibus iustitiam omnibus distributionibus ab ipso factis, & sine quibus distributio ab ipso Magistro facta nequit iustificari, vel saltim iustificata apparere.

18 Redeo ad necessitatem, & facilitationem ratiociniorũ. Positis enim his omnibus, quæ ad ordinariam iustificationem partitarum *dati* tendunt, cum quibus calliditati, seu malitiæ obviam itur; ad maiorem iustificationem, sinceram, & facillimam rationis reddendæ compaginationem, in locum illius examinationis sub vtrorumque pręsentia à Romanis desideratæ, *dict. leg.* 1. *Cod. Theod. de quadrim. brev.* & parilis, conformisque Brevium examinationis, invenio in nostris legibus institutum *tantæum* (sic vocatur ab Escalona *lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 12. vulgò *tanteo.*) Quod aliqualem satisfactionem de iustificatione producit, non vltimatam omnium partitarum *dati, & accepti*, nec plenariam, quam debent dare alienam rem tractantes, sed sufficientem, & quæ vlteriora vltimata ratiocinia facilitet. Sic Escal. *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. & Capic. Galeota ab eo relatus *resp.* 1. *Fisc. num.* 36. ibi: *Quæ relatio non cõtinet nisi breuem, & summariam discussionem iuxta posita, & rationem dati, & accepti salva discussione computi.*

19 Hæc discusio, *à tanteo*, licet aliquando ab ipso Iudice accipiatur, plerumque tamen alijs iudicibus commẽdatur, v. gr. tantæum Officialium Regiorum sumitur à Gubernatore, *Corregidor* illius Provinciæ vbi Arca Regia adest, *leg.* 24. *tit.* 29. *lib.* 8. *Novæ Recop. Indiar. leg.* 28. ibi: *Porque las que tomaren los Gouernadores, y Corregidores, no han de ser*

mas

mas que de tanteo, lib.8.tit. 1. *dict. Recopil.* Escal. *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. vbi Regiam ordinationem citat.

20 Hoc etiam à Romanis vsitatum invenio. Probatur ex *lege Cum post,* 26. *Cod. de appellat.* ibi: *Cum post sententiam discussoris fuerit prouocatum, ad sinceritatem tuam negotium transferatur.* Quæ directa est ad Pelagium Comitem rerum privatarum. Cui æquiparantur *los Contadores Mayores*, Gregor. Lop. *in leg.* 11. *tit.* 20. *part.* 3. *& ex leg.* 1. *Cod. de quadrim. brev.* ibi: *Vt priusquam ad iudicium vestrum examinanda tradantur, sub vtrorumque præsentia conferantur.*

21 Hæc tamen calculatio, discussio, aut tantæum, multum conducens ad meliorem iustificationem, & veritatem indagandam parcellarum *dati, & accepti* nobis Visori, & Præfecto, quibus incumbere videbatur, non permittitur. Et cum aliquãdo prædictum tantæum facere cœpisset Visor Generalis actualis Nobilis Dom. D. Sebastianus de Colmenares, vocassetque Magistros ad id consequendum, illi hoc recusantes ad Calculatores Regij Tribunalis de Visore conquerẽtes adierunt. Qui Calculatores malitiam illorum nõ callentes, proclamarunt tanquam à Visore iniuriam passi, dicentes talem vocationem ad tantæum continere expressam cum Tribunali competẽtiam, à nemine excogitatam vsque ad illud tempus. Repræsentationem fecerunt Dom. Proregi vestitam generalitate calculationum, respectu quarum ipsi erant, & inveniebantur speciales, & privativi Iudices, quod nec à nobis negandum erat. Obtinuerunt tãdem, & Dom. Prorex nobis imperavit, vt ce-

cederemus, & de illo tantęo non fuissemus soliciti.

22 Libentissime cedo, cedere enim in materia odiosa delectabile est, & cum valdè odiosum sit ratiocinium petere, & quærere, certè minori difficultate interposita quievissem, si scrupulus non bene facti servitij Regis me non vexaret, & ad subeundos labores mei muneris non impelleret. Sed iuxta *legem Observandum, in fine, ff. de Officio Præsidis*, quilibet debet defendere Officij authoritatem, non autem onus.

23 Non insto tenax, sed quietissime. Vnum solum dicam. Non solum non derogari de authoritate, & potestate Calculatorum permisso hoc tātæo, sed augeri, convenientias, & vtilitates illis afferri, & laborem auferri, cum hoc tantæum viā ad ratiocinia sua petenda sternat, difficultates illis explanet, & auferat offendicula. Vnde Casiod. 12. *variar. 3. Expensarum quoque fidelem notitiam quaternis mensibus comprehensam ad scrinia nostra dirigere maturabis, vt totius erroris discussa caligine, publici ratiocinij possit claritas apparere.* Quid expressius? Et expresse iubetur in nostris legibus, *leg. 48. tit. 16. dict. lib. 9.* ibi: *Porque à nuestro servicio, y à la buena cuenta, y razon de la Aueria, y caudal de prouisiones, conviene que con mucha frequencia se tome tanteo à los Maestres.* Et infrà: *Mandamos al Veedor, y Cōtador, que tomen los tanteos con mucha continuacion, y cuidado.* Et in præcitata instructione, cap. 53. ibi: *Luego que las Armadas dèn fondo, el Proueedor, y Veedor, con assistencia del Escriuano Real, visitaràn todos los Baxeles, y tomaràn cuenta por tāteo à los Maestres de Raciones, de los bastimentos que se han consumido en el viage, y de los*

los que quedan en ser.

24 Quis has leges legens, non mirabitur Calculatores dixisse tantæum esse novitatem cōtra iura, & leges? Nimirum harum legum non erant conscij; sed debuissent. Nec Dom. Prorex erat conscius (contra illas enim non iusisset) hæc est vnica mea ratio typis mandandi elucidationem meæ Præfecturæ, & omnium legum, & statutorum ad illam, & servitium Regis conducentium. Vt non detur ignorantia, & omnes posśint facili negotio huius libelli, suas obligationes adimplere.

25. Redeo ad considerationem status præsentis, quam hoc negotium habet. Particulares Susceptores illo Proregis decreto muniti se exemerũt ab illo frequenti *tantæo*, tot legibus iusso, & statuto, eis omnibus postergatis. Ratiocinia, quæ à Calculatoribus debent accipi, lentiśsimo passu incedunt. Vix datur aliquis, qui intra spatium, quo tali Officio fungitur, ratiocinia præstet, & solum dum altiora petunt, eorum recordantur, vtpote quia illis obest, quominus ad alia admittantur. In his omnibus Gaza Regia multa patitur, & servitium Regis non fit.

26 Ergo (vt concludam) hoc tantæum non debet à Tribunali Calculationum impediri; tum propter supradicta; tum, quia ea Rex iubet, cuius præcepto nemo resistit; tum, quia non est alius modus occurrendi fraudibus, quæ aliter fierent, & fiunt, & fiēt. Quapropter otiosum non iudico referre verba *legis* 41. *tit.* 16. *dict. lib.* 9. ibi: *Sea obligado el Veedor à hazer inventario en llegando de buelta de viage, de todos los bastimentos, armas, y municiones, y otras cosas, que huviere en las dichas naos, y en-*

entregue testimonio de todo à los Contadores de Aueria, para que no se reciba en cuẽta à los Maestres mas de lo que se hallare en las naos; por auerse entendido (nota malitiam, & malitiæ notitiam) *que suplen lo que han vendido en las Indias con lo que compran en estos Reynos*. Quæ calliditas pasim committitur, & eam investigavi circa lagenas luteas pice intus illinitas ad portandam pro navigatione aquam, vulgò *botixas*, quæ venduntur in *Panamà*, & *Arica*, vbi carius venduntur, quã in *Callao*. Non solum ergo debent Calculatores hoc tantæum non impedire, sed & debent instare pro pœnis dictæ legis in viridi ponendis, & ad praxim redigendis.

27 Positis his omnibus à nostris legibus, & Regibus requisitis, tàm in vniversali, quàm in particulari annonarũ Susceptore ad iustificationẽ partitarum, seu parcellarum *dati, & accepti*, vt ratiocinium cum veritate, & rectitudine eruatur, & præstetur. Restat nunc scire, quando hi Susceptores debeant præstare ratiocinium? Et vt è manibus non sinamus Romanos, quid observatũ fuisset ab illis, tangam. Cum Provinciales per quaternos menses has species annonarias præstare tenerentur, *leg*. 15. & 16. *Cod. Theod. de Annon. & trib*. ita etiam in Breves quadrimenstrui erant ad Præfectum Prætorio remittenti, & ratiocinium erat etiam quadrimenstruum, *dict. leg. vnic. Cod. Theod. de quadrim. brev*. Et ad minus quolibet anno semel ab eis ratiocinium præstabatur, *leg. Neminem*, 4. *de Suscept. Cod. Iust. leg*. 7. & 11. *Cod. Theod. eodem*, & ibi ratio *in lege* 11. quæ est 4. *Cod. Iust. Integro igitur singuli anniuersario anno transcurso* co-

cogantur exponere, quibus titulis dispersa distulerit. Et post pauca redditur ratio: *Vt facilius si quis in furto fuerit deprehensus, recentem queat redintegrare iacturam.* Petrus Bellinus *de re milit. tract. 7. tit. 6. n. 4.*

28 Alia pulchra, & iustissima ratio bimembris redditur in his legibus, ibi: *Nam neque eos, qui placuerint gravare, iusti est, neque eos, qui displicuerint tenere, prudentis est.* Prima pars est iustissima. O vtinàm ita fieret, & hi, qui placent, id est, qui bene se gerunt, & munera sua iustè adimplent, non gravarentur; animosius illa exercerent, & allicierentur ad illa subeunda. Ad quod respexit *leg. 7. Cod. Thed. d. tit. de Suscept.* ibi: *Annuas susceptiones peragant, ita vt nihil praeterea muneris pertimescant, atque expleta susceptione, erogationibusque perfectis transacto illo officio, cum apud Iudicem fidele obsequium comprobarint iudicis nostri digna praemia consequantur.* Casiod. 2. *var.* 28. *Tribuenda est iustis compensatio praemiorum.*

29 Secunda pars etiam est iustissima ad iustitiam punitivam spectans, institutoque praesenti plus adaequata: *Neque eos, qui displicuerint* (id est eos, qui malè se gesserint in suo munere) *tenere, prudentis est.* Certè erit imprudentia, ipsum ad idem munus (immo nec ad aliud) iteratò admittere. Ideo dicitur *per debitam rationem*, ac si diceretur: eos qui male se gesserunt, cognita illorum fraude, ad satisfactionem damni illati recenter cogniti posse vrgeri, & ad poenas debitas compelli.

30 Hoc idem stabilire videtur nostrum ius, dum *in leg. 1. tit. 19. dict. lib. 9.* iubet duos semper esse Susceptores Vniversales, quorum vnus dupplici anno deserviat: &

hoc transacto debitam rationem dati, & accepti præstet, & secundus administret, dum à primo ratiocinium præstatur exhibendo volumina, instrumenta, & actus suos rationesque legēdas, percontandas, atque dispungendas exhibet, & offert, quæ sunt qualitates boni Administratoris relatæ ex Molinæo ab Escobar *de Ratiocin. cap.2. num.5*. Et iubet lex Susceptorem, qui rationem præstat trecentis ducatis gaudere pro stipendio seu salario; qui administrat, quingentis. Iubet etiam secundum suo tempore rationē debitam præstare. Et si primus inventus fuerit bonus Administrator, vel quia reliquum non fuerit, vel reliquatū exolvit (quod etiam ab Escobario vbi suprà desideratur, vt censeatur Administrator bonus) officium iteratò assumat, ibi: *De forma, que el que huviere quedado los dos años para dar quentas, no buelva à entrar en la ocupacion, y exer cicio de el oficio sin averlas acabado, y tomado finiquito.* Quid clarius cum Romanis? Vtinam praxis pro legibus esset.

31 Pro particularibus Susceptoribus stabilitum invenio: ipsos Magistros navis, seu Susceptores, *Maestres de Navios* præstare debere debitam rationem intra mensem à die, quo navis portum, à quo discessit, appulit *leg. 49. tit. 24. dict. lib. 9.* ibi: *Ordenamos, y mandamos, que los Maestres de Raciones de los Galeones de Armadas dèn sus quentas de buelta de viaje, dentro de vn mes, con relaciones juradas, &c.* Adeo, vt si eam non reddat, privetur officio, alijsque pœnis mulctetur, vt videre est in ipsa lege. Et novus titulus ei non præstetur pro secunda navigatione, quin declaretur in eo residuum, seu superfluum mane-

ñere solutum, omnibus partitis *dati, & accepti* debitis, traditis, & solutis, ibi: *Que no tienen quentas que dar, y estàn dadas las que huvieren sido de su obligacion, y pagados los alcances, y resultas de las antecedentes.* Idem *in leg. 21. tit. 29. lib. 8. nov. Recop. Ind.* Nil clarius pro obligatione reddendarum rationum.

32 Si autem tale ratiocinium de facto non præstetur, vel malitia Susceptorum, vel ommissione Calculatorum, vtrique disiunctivè eadem lex pęnam imponit. Nam si culpa sit Susceptorum, debent vexari, & ab exercitio expelli, sive sit Susceptor vniversalis, sive particularis. De vniversali loquitur, *dict. lex 1.* ibi: *No buelvan à entrar en la ocupacion, y exercicio de el oficio sin aver las acabado, y tomado finiquito.* De particulari, *dict. l. 49. & l. 41. eodem*, ibi: *No se buelvan à embarcar.* Et vide Bobadill. relatum à Perez *tit. de Suscept. num.* 18. Insuper habent pœnam tripli, *pena del tres tanto.* Si autem Calculatorum culpa contingat ratiocinia non præstari, *dict. lex 49.* iubet eis non solvi salarium, ibi: *Y el Pagador de la Averia no pague el salario à los dichos Contadores.* Et cum tacitum contineatur sub expresso eamdem rationé habente, seu eiusdem rationis comprehensivo, *leg. quæsitum de testibus*, Rota Rom. apud Farinacijs *decis.* 10. *num.* 3. *tom.* 1. *part.* 1. inde est, quod etiam à Calculatoribus Regij Tribunalis hæc pęna à lege præscripta timeri posit.

33 Sed ne in pœnarum puncto Romanos deseramus, advertendum est eamdem fere pœnam ab ipsis imponi, privationem scilicet officij, adeo vt nec rescripto Principis assequi id iterum possit,

R 2 *leg.*

leg. 27. *Cod. Theod. de Suscept.* ibi: *Nemo eorum semel in interversione convictus, id rursum officium gerat, in quo antea decoxit. Etsi rescriptum nostrum elicitum clandestina supplicatione detulerit.* Quæ pœna erat communis omnibus male se gerentibus in suis officijs, *leg.* 2. *Cod. de Palat. Sacr. larg.* & ibi Perez *numer.* 23. qui Plat. & Cap. *decis.* 121. *n.* 17. & 18.

34 Si vero culpa occultationis rerum susceptarum ab eis commissa esset, manus eis amputabatur. *Novel.* 17. §. *Coges.* Antiquo iure capitali pœna afficiebatur, §. *Item lex Iulia peculatus de public. iudic.* & ibi Pichard. quam pœnam in pecuniariam postea commutarunt, vt refert Perez *d. tit. num.* 22. In nostro iure tripli pœna punitur, *dict. leg.* 49. *tit.* 24. *leg.* 18. *tit.* 5. *lib.* 9. *Recopil. Cast.* Larea *alleg. Fisc.* 38.

35 Advertendum in calce huius capitis, non omnem Susceptorem esse Annonæ militaris. Alij erant quandoque Susceptores; nam qui tributa recipiebant, Susceptores vocabantur, *toto titul. de Suscept. lib.* 10. & ibi Perez *num.* 7. sed quoad ratiocinia præstanda, omnes sunt idem, *leg.* 6. *dict. tit.* & ibi Perez *num.* 12.

CAP. VII.

De Alijs rebus, quæ providentur à Præfecto præter Annonam.

1 ROmani Milites præter Annonam, veste militari gaudebant, *toto tit. de Milit. vest.* necessitate æquali existente vestis, & victûs; nam, vt ait Perez *in d. tit.* quemadmodum ad militum vitam necessaria est Annona, ita vestis ad conservationem corporis, quia sicut illa vires auget, & vitam tuetur, ita hæc

ſanitatem corporis conſervat, & nocitura arcet, & repellit. Noſtri Claſſiarij Milites tali veſte nõ gaudent. Ideo de ea ſermonem non inſtituo. Nil mirum ſi Romani præter Annonam veſte fruerentur, cum abſque ſtipendio Reipublicæ ſervirent, vſque dum Senatus Tribunis requirentibus, & expoſtulantibus ſtipendia conſtituit Authore Livio *lib.*4. ſic Perez *ad tit.* 38. *lib.* 12. *num.*7. An autem veſtes militum Romanorum poſt conſtitutum eis ſtipendium extra ſtipendium concederentur, an ex ipſo ſtipendio? Non eſt mei inſtituti, nec inquirere ipſorum Romanorum particularia, ſed eà quæ habebant nobiſcum communia, vel quæ imitari, eſſet glorioſum.

2 Vt ex hoc puncto veſtium non diſcedamus intacto pede. Advertendum eſt, à Præfecto aliquas (& eas ſolas) veſtes præſtari, nempe relegatis, & damnatis in Inſulam ad eruendos lapides de quibus ſuprà, & infra cum de tributo, *Siſa* loquar *lib.*3. Quæ veſtis cõficitur ex baſtiſsimo panno Vulgo *Cordellate*. Et modus veſtium eſt peculiaris illius Regni. Et quia hæc proviſio, (vt video) erit perpetua, & nunquam in deſuetudinem abibit, eruditam non recuſo relinquere poſteritatẽ. Sciatur, ergo, hanc veſtem, (quamvis omnibus annis præſtetur à Præfecto, non præſtari præcisè ratione Præfecturæ, ſed decreto ſpeciali Proregis id fieri iubentis. Vnicuique, igitur, damnatorum in Inſulam ſingulis annis vna diſtribuitur veſtis, & pro duobus annis vnum ſtrangulum *Frezada*.

3 Hæ veſtes curà Prȩfecti factæ, traduntur Suſceptori, ſeu horreorum Præpoſito, & ſub curà, & ratiocinio illius remanẽt, com-

componentes vnam parcellam sui accepti. Et ex eius manù, vnà cum Præfecti interventu, & Visoris Generalis, & Calculatoris Regij stipendij vnusquisque relegatus accipit sibi correspondentem vestem. Et in libro, quo scribuntur, tam nomina eorum, quam tempus exilij vulgo. *En su assiento*, notatur horum receptio, & ex hac diligentia oritur, seu deducitur datum Susceptoris. Et præstatur ab omnibus his officijs instrumentum eius securitati correspondens, vulgo *Recado en forma*, certum faciens, & conscium Tribunal, dictæ contributionis, per quod in datum accipiuntur præstitæ vestes, vtpotè instrumentum omnibus officijs iustificatum. Et hoc instrumento vtimur, quoties non est persona Optionis, cui acceptum in ratiocinium protrahatur; vt dicam, cum de carina navium, & de Regijs operibus loquar.

4 Anno 1700. Exc. Prorex decreto extraordinario, & insolito iussit me providere decem, & octo vestes quasi talares, quibus homines supervestiuntur, proprie ideo nuncupatæ supra vestes, aut *sobre todos* pro excubijs, seu mæniorum vigilibus. Sunt enim decem, & octo speculæ *garitas* in locis aptis ad faciendum vigilias. In vnaquaque specula iussa est poni vnaquæque vestis, ad hoc, vt contra frigus se excubiæ munirent, & non deficerent à vigilia. Fuerunt primæ, & vltimæ sinè exemplari præstitæ, & in posterum non præstandæ: ideo de illis non disputo.

5 Præter Annonam, etiam providetur à Præfecto omnis res, & species ad navium carinam præstandam, & ad earum apparatum, & vsum necessa-

cessariæ. Hæc provisio, tam ex Regijs legibus, quam ex meo titulo, Præfecto incumbit. Sed quia de hoc puncto separatim tractare desidero, vt de magnis in eo malitijs certiores successores faciam. Ad alia transeo.

6 Aliæ etiam res à Præfecto providentur, quæ non erant ab eo providendæ, quia extra suam obligationem, & munus. V.g. Provisiones, quæ nec sunt pro Classe Regia, nec pro portu Callai, sed pro alijs locis, cum tamen Præfectus solum sit Præfectus Classis, & Callai. Aliud exemplum. Sunt aliquæ provisiones, quarum cura est penes alios, & ipsarum pro parte provisio Præfecto committitur. Non videtur rationi consonum. Et ex hoc secundo incipiam, tanquam plus animum pungente.

7 Exemplum eget prolixa narratione. Quanquam Rex in meo titulo, seu Præfecti diplomate iubeat preparationes bellicas emi, & provideri à Præfecto *Compre las municiones*, qua voce comprehenduntur omnes res apparatui militari deservientes, v. g. ipsa tormenta bellica, currus, quibus moventur, & vehuntur vulgo *cureñas*, pulvis sulphurus *polvora*, globi tormentarij *balas*, & tandem omne id, quod præparari debet pro tormentis bellicis magnis, & parvis: & aliquando ex Proregum decreto declaratum sit subhastationem pulveris sulphurei ad Præfecturam pertinere, quod onus vi illius verbi *municiones* recusare non possum, nec desidero; cum res cum suo onere ad quemcumque vadat ex vulgatis, *& leg. Is cui*, 23. vbi latè Jason *num.6. ff. de nov. oper. nuntiat. cap. Si quis laicus, & ibi gloss.* 16. *quæst.* 1. *cap. Ex litteris de pignor. cap. Pastoralis de decim.* & ex alijs

alijs, tàm legibus, quàm Authoribus tradit. *in axiomat. iur. litt. R. n. 76.*

8 Non obstante illo verbo *municiones* contradixerunt huic Præfecti incumbentiæ Officiales Regij. Et in Senatorum Limensium congressu vulgo *Acuerdo*, ad quem ex decreto Proregis, & ex suffragio consultivo negotium fuit allatum, hoc onus rei bellicæ segregatum fuit à Præfecturà, Regijsque Arcarijs, seu Officialibus aggregatum. Proculdubio illi Sapientes Senatores eà fuerunt ratione fundati, quam propinat *lex* 20. *tit.* 17. *dict. lib.* 9. *Nov. Recopil.* ibi: *No se introduzga, ni embarace el Proveedor de la Armada de la Carrera en ninguna cosa de las que tocaren al ministerio de la Artilleria, ni al Capitan General de ella. Y hagase por los Oficiales à quien toca.*

9 Possent moveri super hoc duæ quæstiones. 1. An hęc lex anterior diplomate Præfecti posteriori derogata censeri debeat? 2. An debeat hoc intelligi solum in hoc Regno Hispaniæ, in quo specialis privativus Dux Generalis datur ad hoc cum Officialibus ad id deputatis, *toto tit.* 22. *dict. lib.* 9. & specialiter *leg.* 4. Qui Dux Generalis loco Præfecti subrogatur quoad hoc, *lex* 14. *tit.* 19. *dict. lib.* 9. Non tamen in Regno Peruano, vbi non est Dux Generalis, qui loco Præfecti hanc curam habeat. Eas tamen libentissimè indisputatas relinquo, onerum non avidus. Et certe in emptionibus nil aliud invenio nisi molestias, & onus.

10 Hoc tamen supposito decreto prohibente me à provisione rei bellicæ: supposito etiam, quod eadem est prohibitio totius, ac partis, *cap. Maioribus de præbendis*, Petrus Barbosa *in leg. cum* *Præ-*

Prætor, §. 1. *num.* 112. *de Iud.* cum, qui totum dicat, nihil excludat, *leg. Iulianus in princip. ff. de leg.* 3. cum accumulatis à Barb. *in Axiomat. litt. O. numer.* 17. clarissimè cognoscitur Prefectum debere manere liberum non solum ab onere emendi *municiones*, sed etiam ab omni eo, quod sub tali appellatione, & voce vocandum, & intelligendum veniret. Et tamen plures partes huius totiùs oneris subeo, & non solum partes totiùs, sed & partes partis, quod non est ferendum vtpote rationi, & iustitiæ dissonum.

11 V. g. Pro re bellica est species simpliciter necessaria cannabis retorta, vel funis cannabina, necessaria pro igne alendo pulveri sulphureo applicando vulgo *cuerda*: hæc provisio indiget diligentia, quia species funium avehitur ex Regno Chilensi; sed hæc requisita diligentia, & providentia plerumque (omninò, dicam) deficit. Nescio quà desidia. Et recurritur ad Præfecturam decreto Proregis ad quærendam, & extrahendam cannabem istam tortam. Accidit, quod Præfecturæ horreum illa specie careat, vtpote quæ non illi incumbit, sed alijs. Iubet enixè Prorex Præfectum quærere illam chordam, & supplere defectum. Et cum in Regno Peruano non sit cannabis, sed avehatur de longinquo, plerumque omninò deficit, & instante necessitate cum illa species supplenda sit per aliam, aliquando cum magno dispendio, & sumptu (pluris enim constat) nullum arbitrium mihi superfuit nisi iubere construi funes ex gossypio *algodon*. Idem accidit frequenter cum globis tormentarijs *balas* non solum specialis fabricæ quæ vulgo vocantur

Angelotes, pies de cabra, palanquetas &, sed etiam ordinarijs, dummodo species difficulter inveniatur, vel tempus premat, semper deficit, & ad Præfectum recurritur semper.

12 Permittatur mihi Præfecto reflexiones meas, & querellas hic modestè exprimere. Si decreto Proregis provisio rei bellicæ alijs incumbit, ipsi provideant. Et si deficiant, ipsi suppleant, ipsi remedium imponant, vel ipsi puniantur ob defectum commissum. Quid est hoc, quod sint Provisores qui errent, & sit alius Provisor qui suppleat? Quando ego Præfectus deficio in speciebus mei muneris, nullus alius remedium ponit: fiat cum illis alijs, quod mecum fit. Saltim quando nec Præfectura illam speciem deficientem habet, & de novo tunc est fabricanda, cur hæc nova fabrica committenda est supplenti, & non committenda erranti? Proculdubio sum Præfectus, & Provisor rerum deficientium, specierum extraordinariarum, non occurrentiũ. Provisio ordinaria, & facilis rei bellicæ stat in Regijs Officialibus. Sed Provisio extraordinaria, & difficilis, & omnia supplens stat penes Præfectũ. Quoties duo separatim de eàdem re curant, neuter bene curat. Præfectus in talibus defectibus (licet sumptu maximo) supplendis, scrupulum conscientiæ non habebit, cum enim provisio illius speciei deficientis ad eum non pertineat, ille defectus illi non imputabitur, sed frequentia maiorum sumptuum Regis ex frequentia defectuum dolorem ingerit. Si porta illis clauderetur a deundi Præfecturam, vt suppleat, melius curarent. Vel vnus, vel alter integrè providen-

dentiam hanc sumere necesse est. Prohibitus in toto, in parte est prohibitus. Vel prohibitum in toto, vel providentem de toto respectu rei bellicæ Præfectum declarari, est opus, vt servitium Regis bene fiat.

13 Pro his rationibus est elegans textus *in leg. possideri*, 3. §. *Ex contrario*, *ff. de acquirend. possess.* ibi: *Nam & contra naturam est, vt cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris*, & ibi Donel. *lib.* 15. *comment. cap.* 32. Ant. Gom. *in leg.* 45. *Taur. num.* 193. *leg. decreto*, 24. *de administr. tut.* ibi: *Etiam vni agere permissum est, quod duo simul agere non possunt*, *leg. meminisse*, 10. *de offic. Procons.* & omnino vide Ruin. *consil.* 7. *numer.* 6. *lib.* 4. Felin. *in cap. Pastoralis*, *limit.* 3. *de offic. ordin.* Menoch. *de arbitr. quæst.* 40. *num.* 7. Escal. *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 3. qui plura affert.

14 Multa alia exempla possem ponere. Saccorum in quibus pulvis sulphureus immittitur, & aliorum saccorum supra illos saccos, vulgo *cartuchos, y guardacartuchos* est apud Præfecturam provisio ordinaria ex decreto Proregis. Fuit à me repugnata propter rationes supra positas in consultatione, supra hoc speciali quam Proregi feci, non tamen obtinui.

15 In vno tantum obtinui, scilicet in ligneis arculis pro asportando argento viuo, Mercurio, seu *azogue* ad Novam Hispaniam pro beneficio fodinarum. Ridiculum mihi visum fuit Officiales Regios curare de illo asportando, & Præfectum curare de faciendis vasis, seu capsulis pro tali asportatione, re parvà inter duos divisà. Consului Proregem: obtinui, & iam non pertinet hoc ad Præfectum, sed illis integrè fuit

hoc onus iniunctum; ex ipsisque ratio sumitur, nec ex Præfecto quæruntur sumptus illius. Hoc bene. Cur non omnia ita? Cui non dissonat eiusdem rei bellicæ quasdam provisiones Officialibus Regijs incumbere, quasdam Præfecto, quasdam vtrisque, illis in ordinarijs, Præfecto in extraordinarijs? Est provisio monstrosa.

16 Ex alio etiam capite gravatam indebitè Præfecturam dixi, quia scilicet iubetur providere etiam alijs Regnis, & Portubus, cum hæc Præfectura solum sit Clasis Peruanæ, & Portus Callai. Sive autem plumbum mittatur (vti solet) in Panamam, sive aliæ species mittendę sint alijs, & extraneis (vt ita dicam) à Callao Præsidijs, & Portubus cum situationibus *situados*, quæ quotannis pergunt, omnes mittendæ emuntur à Præfecto, cum debuissent emi ab vno ex Officialibus Regijs, præcipue à Factore. Argumento ducto ex relatis à Beyt. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 18. quod ex identitate rationis validum est, *leg. relegatorum* §. *Interdicere de interdict.* Jason *in leg.* 1. *num.* 7. *de constit. Princ.* Parlad. *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 5. *p.* §. 10. *num.* 26.

17 Super omnia est minus tolerabile, quod Præfecto quotannis contingit cum Fortalitio, & Præsidio Baldiviæ Regni Chilensis, quando ei remittuntur stipendia suorum Militum. Commissarius Baldiviæ vocatus *Situadista* (quia ideo mittitur, vt situationes asportari curet, & negotia illius exercitus agat) petit passim à Dom. Prorege res Baldiviæ necessarias ex horreo Regio Callai extrahendas, vt suæ petitioni fiat satis, & plerumque petit eo colore, quod illæ species, quę sibi deficiunt, in horreo Callai (vt ipse ait)

ait) superfluant, quod eas Rex ibi otiosas habeat, & alijs similibus coloribus aliquando falsis. Et in fraudem Præfecti, nulla ei notitia præstita, obtinet à Prorege decretum iubens tradi prædictam speciem, vel species dicto Commissario. Et quamvis Præfectus contrariam faciat repræsentationem, & veriorem; aliquando enim petit speciem quæ in horreis non est, nec facile invenitur, aliquando speciem summè necessariam Præfecto, quam magno labore quæsivit, & custodit pro sua obligatione suo tempore adimplenda, aliquando petit plus empto, & servato: quamvis, inquam, varias repræsentationes pro opportunitate fecerim, nunquam tamen obtinui. Semper cõpulsus Commissario prædicto species meæ Præfecturæ necessarias tradidi. Patientiã persuadet Prorex Præfecto pro illo anno. Iam (inquit) decretum est expeditum. Anno sequenti emmendabitur. Nunquam emmendationem vidi, sed repetitum, & auctum inconveniens, & maiorem Præfecturæ sumptum.

18 Duo in consideratione Proregum vellem hic ponere. Vnum est, quod horreum Regium Callai non repletur ex aliquo vectigali, seu tributo specierum, quæ Regi quotidie accrescunt. Si enim ita esset, possent fieri multæ gratiæ ex speciebus tributi. Non repletur nisi magno sumptu Gazæ Regiæ, & magna cura, & labore Præfecti ementis à Dominis, plerumque invitis, & reluctantibus. Aliud est, quod hæc remissio situationum in Baldiviam subhastatur; & Providens prædicto exercitui Baldiviæ ratione subhastationis in se factæ tenetur ad præstandum omne, quod illi necessarium sit.

ſit. Quærat, & emat. Ergo non debet Commiſſarius adire Proregem, nec extorquere talia decreta, nec ſpecies Regis horrei extrahere, nec patientiam Præfecti vexare.

19 Huic Præfecturæ additum etiam eſt ex Proregis decreto auxilium reorum vinctorum, qui in varias Regni partes exulant, non ſolum ſententià ipſius Proregis, ſed & ſententià aliorum Tribunalium à Dom. Prorege cõfirmata. Hi, qui in exilium mittendi ſunt, toto illo intermedio inter ſententiam iudicis, & diſceſſum navis, quæ eos aſportatura eſt, mittuntur ad Carceres Præſidij Callaenſis. Vulgo *Carceles del Cuerpo de Guardia.* Ibi ſolent immorari per multos menſes, & vnicuique ſingulis diebus iubet idem decretum pietate plenum præſtari duos regales argenteos.

20 A me Præfecto fuit facta repræſentatio valida hanc Providentiam reverentibus duabus rationibus contradicens. In prima faciens notam illã nullam dependentiam, & cõnexionem illorum vinctorum cum Præfecturà, nec cum Præſidio, nullam etiam conmixtionem huius ſumptùs debere fieri cum ſumptibus à Præfecturà factis, & debitis, reſpectu quorum ſolum eram Præfectus. In ſecunda repræſentavi vitari poſſe, & deberi illum ſecundum carcerem pro expectanda navi, ſed poſſe manere illos vinctos in carceribus Civitatis, vbi à Confraternitate Charitatis providentur, & ſublevantur omnes, qui cognoſcuntur non habere, vnde ſe alere poſſunt.

21 Parvi penſa omninò in ſuis duobus punctis fuit mea repræſentatio. Ad primum reſpondit Dom. Prorex iſtos paupe-

res

res exules esse sublevandos (ita suadente proximorum Charitate) & neminem Præfecto aptiorem Proregi ocurrisse; illumque sumptum vniri debere sumptibus minutis, *gastos menudos*, qui à Quæstore Militari *Pagador General* (ita vocatur à Mattheu *de Regim. lib.* 1. *capit.* 2. §. 2. *num.* 184.) solvuntur mandato Præfecti. Ad secundum respondit, extrahi plerumque è carceribus Limæ illos vinctos, qui exulant, vt claudatur omninò porta importunis plurium instantijs ad revocandam exilij pœnam; tanquam si esset impossibile eos liberare è secundo carcere duas leucas distante à primo propter easdem importunitates. Hoc, ergo, facto, declaravit hunc secundum carcerem infernum prædictorum exulum, in quo nulla est redemptio. Hæc dicta maneant. Voces emisisse, solatium.

CAP. VIIJ.

De eo, quod præstatur à Præfecto carinarum causa, vel aliarum Fabricarum Regis.

1 MAlitiosum Præfectum desidero, & facilè suspicantem de Mecanicis, qui Regi laborant. Nitimur in vetitum omnes. Quasi aquæ dilabimur 2. *Reg.* 14. proclives ad malum, præsertim vulgares ad viles fraudes. Non semper malitia est peccatum. Suspicio non coinquinat animum. Non persuadeo suspicionem, sed possibilitatem fraudis. Tot fraudes reperi in carinis, & operibus Regijs, vt suspicionem doli de opificibus esse necessariam ferè reputem. Permittatur mihi facetè dicere, quod quidam Cõfessarius facetè dixisse pœnitenti suo dicitur. Confiteor, dixit ille, me ferè de

de omnibus meis inferioribus in malam partem suspicari. Fili, respondit ille, malè facis, sed pauca errabis, & pauca erravisse reperies.

2 Quando naves Regiæ carinantur, insurgunt occasiones permultæ ad fraudes, & furta, propter quod instruere Præfectos cupio de omnibus callidi-tatibus, quas cognovi, & malitiosiorem culpis Præfectum desidero, vt summis vigilantijs furtis obviam eat.

3 Prima fraus est surreptio specierum, quę duplex esse potest, vel in ipso horreo ab ipso susceptore, de quo *in leg*.44.*tit*. 17.*lib*.9. *Nov.Recop. Ind.* Vel in navi ab opificibus, & Officialibus, postquam iam sunt repositæ in navi pro carina, de quo Beyt. *lib*. 2.*cap*. 14.*num*. 4. *&* *dict. lex* 44. *in princ*. Primæ culpæ occurrere Præfecto incumbit. Secundæ, illi etiam olim incumbebat. Sed postquam creatus est opificum Dux *Capitan de la Maestrança*, isti, & non Prefecto incumbere cæpit.

4 Fraus primi generis potest dupliciter fieri, vel in ipso horreo à Susceptore, addendo numerum specierum, tradendo ad oculorum pondus, & non stateræ, v. gr. trado centum, cum solum tradantur octoginta. Vel in intermedio ab horreo vsque ad navim. Quæ surreptio tunc fiet, vel ab Officiali navis vulgo *Capataz*, vel à Magistro maiori, cui traduntur species in horreo.

5 Quibus, & alijs infinitis fraudibus, vt obviam eat Prefectus, multis oculis cautelà, & vigilantià indiget. Debet scire leges nostras, quæ de his modis fraudum minutim, & sapienter loquuntur, earum observantiam exactissimam in viridi ponere, & instare coram superiore

riore super hoc. Legibusque protectus, & innixus debet in primis (vt eamus viam praxis) observare, quod species necessariæ pro carina tradantur Officialibus navis carinandæ, *Capataces*, in cõspectu Magistrorum Maiorum, ad hoc, vt non petatur, aut accipiatur plùs necessario, ita *dict. lex* 44. *Haziendo que los Capataces dèn recibo con toda distincion en presencia de los Maestros Mayores, para que se vea si piden, ò reciben mas de lo que es necessario.*

6 2. Quod præstentur species numerabiles, de facto numeratæ, mensurabiles mensuratæ, & ponderoræ ponderatæ, & non ad oculum: *Y las entregas de los dichos materiales se han de hazer por peso, numero, y medida, según la calidad de los generos, y no se ha de entregar el cañamo por fanas, ni la estopa à bulto, ni clavos, &c.*

7 3. Quod non supponatur maior numerus tradito addendo ponderi, numero, vel mensuræ, nec in ipso die traditionis, nec post carinam consumatam, quando omniũ specierum consumptarum catalogus texitur, ex quo instrumentum conficitur, & ab Officijs præstatur, vt in datum recipiantur Susceptori omnes species in illo contentæ: quod advertit *dict. lex*, ibi: *Y que el Tenedor, ò el que por èl hiziere la entrega, no pueda poner por consumido para su descargo mas, de lo que realmente entregare.* Hæ sunt fraudes, quæ committi possunt in ipsis horreis, ab ipsis legibus cautę, & à Prefecto invigilandę, & vi tandæ.

8 4. Debet Præfectus vti brevi codice, vel libello, in quo, vel ab ipso, vel ab eius Officiali, ipso Præfecto præsente singulis diebus scribantur omnes species in numero, pondere, vel mensura,

quæ traduntur. Idem debet fieri à Susceptore in alio codice: & fuisset optimum, si opificum Dux, & Visor Generalis suum alium vnusquisque libellum faciat, & omnes ad manum illum habeant: nam cum omnes instrumentum illud subscribãt, quod à Tribunali in *datum* Susceptoris admittitur, optimum erit vnumquemque ex suo codice, & manu certum reddi.

9 5: Nullo modo permittat Præfectus suum codicem venire ad manus Susceptoris species annonarias, vel carinarias præstantis, ne detur occasio fraudi. Adeò vt si Præfectus videat suum Præfecturæ Officialem, & Susceptorem, aut alios Officiales stricta amicitia coniunctos, timeat collusionem inter ipsos, possibilitatem tentationis, facilitatem, opportunitatem, taciturnitatem amicitiæ, & tandem surreptionis, & prędæ dividendæ possibilitatem, iuxta illud Senecæ *de tranq. vitæ, & de exerc. anim. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Idem epist. 104. *Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro, sordido que convixeris.* Et Salomon in Proverb. cap. 13. *Amicus stultorum, similis efficietur*, & Iuvenalis satyr. 2.

:::::::: dedit hanc cognatio labem.
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris.
Vnius scabie cadit, & prurigine porci,
Vnaque conspecta livorem ducit ab vna.

10 6. Summo rigore prohibeat aliquid, etsi levissimum, dari in ipso horreo absque eius notitia, & intuitu. 7. Cum à Susceptore instrumentum pe-

petatur redactis iam ad vnum numerum omnibus speciebus pro carina præstitis, illum numerum cum suo codice conferat, & an correspondeant, examinet. Et hoc labore minimo magnas fraudes vitabit, & sciet an vitaverit, quas *lex* 44. vitandas vult. Nec desinat hæc omnia facere quovis prætextu. Et sibi persuadeat omissionem levissimam in hoc gravissimam esse diaboli tentationem, vt maioribus omissionibus viam sternant, quæ sint causa fraudum, furtorum, & culparum in Deum, & Regem.

11 His possibilibus in ipso horreo fraudibus accedunt aliæ non leves à loco horrei vsque ad navem fieri solitis, de quibus Veyt. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 28. *in fin.* ibi: *Sin que al llevarlo desde el almacen se disminuya.* Vt huic possibili fraudum modo Præfectus occurrat, debet mittere ad Ducem, qui de navi non debet abesse (cum semper, vel ipse Generalis, vel Almiraldus, aut Dux belli, & maris in navi sui muneris sistant) schedulam, & in ea indicem omnium specierum ipso die traditarum, vel ad opificum Ducem, si fortè non astitit in horreo, dum traduntur species, sed in navi. Finis huius schedulæ est, vt secundum illam species recipiat: Et hoc pacto nil in via surripiatur, & consonum cum Præfecti, & Susceptoris codicibus suum faciat. Quam schedulam ille, qui species recipit in navi iterum remittat Pręfecto, aut Susceptori, hoc modo testificans integras specierum summas pervenisse. Certè in his posterioribus annis maximam curam apposuere in specierum receptione superiores navium, omnibusque malitijs eorum auxilio occursum fuit, vt ex in-

instrumentis patet.

12 Accessit, & his alia malitia, & fraus cuiusdam Officialis Visoriæ Generalis colludentis cũ Fabro Ferrario, qui omnia ferrea pro carina fabricabat. Hic, colore, & prætextu non detentionis carinæ ex ipsa officina ferraria non ad horreum Regium, sed ad ipsam navim fabre facta mittebat, ponderando omnia ad suum placitum in ipsa ferraria, sed addendo omnibus pondus etiam pro suo placito. Tempore solutionis computationem vterque faciebat, & æqualiter lucrum (prædam dicam) dispartiebant, iuxta illud Iulij *lib.* 1. *Offic.* supra relatum. Quò à me post aliquod tempus cognito Ferrarium ab omnibus operibus Regijs missum feci. Et firmiter iussi nullum fabrefactum vllo prætextu mitti ad naves immediatè ex officina vbi fabricantur, sed prius ad horreum, vbi ministris intuentibus omnia in bilance Regis pendantur, ab omnibus in manualibus libellis scribantur, & iustificationi solutionis hęc inserviant.

13 Omnes hæ suspiciones, & cautelæ plus necessariæ sunt respectu fraudum, & furtorum secundi generis, id est, ex quò species carinarię iam sunt in navi carinanda, vel iuxta eam, in ipsa opificina. Ibi furta adeo frequentia, vt nulla dies sine eo. In memoriam trahere, quæ ego cognovi, si non impossibile, adeo longum esset, vt folia multa explerem. Non solum viles, & infimi furantur, sed & ipsi Magistri coinquinari solent. Præsertim quando in eodem tempore carinæ Regiæ Magister carinæ aliam navem particularem carinandam assumunt (quod vocant *à destajo*) totus specierum sumptus plerumque Regius

gius est. Adhuc oculatissimos Regis ministros decipient, & excæcabunt, vt visa non intelligat.

14 Exemplum pono. Aliquando cognovi aliquas particularium naves carina indigere, adeo vt non possent è portu hac ratione exire. Sed eis non poterat beneficium carinæ præstari, quia omnino deficiebat in portu stupa, species simpliciter necessaria pro carinis. Nulla alia erat stupa nisi, quam Præfectus anticipatà providentià recollegeram, & servatam habebam in horreo. Circuierunt, expectabant aliquam carinam Regiam, quarum nulla erat proxima. Tandem moverunt lapidem, quem ego crederem, immobilem. Erant aliquæ naviculæ bellicæ, vulgo *lanchas de guerra*, quæ servabantur in horreo navium seu navali, *en el Arsenal*, ò *Atarhzana*, verè carinà egentes. Fecerunt vt istæ carinarentur. Ordinem de eo suscepi. Carina Regia incepit. Mira res, & naves illæ particulares carinatæ sunt sine stupa, quę de novo venisset.

15 Invigilantia super has calliditates, & fraudes Duci Opificum incumbit, *al Capitan de la Maestrança*, nam Præfectus tunc temporis circa frequens ministerium satis solicitus incedit, & non solum specierum carinarium satagit, sed etiam Annonæ Classiariæ, quæ consequens carinam est, cùm carina ad immediatam navigationem prępa-retur. Inde est, quod tunc non possit in navi personaliter adesse carinæ. Nominabat olim quendam huius crucis baiulum, vocatum *Sobrestante*, ò *Superintendente de las Maestranças*, sic Veyt. *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 29. Iam verò, loco istius, maiorisque authoritatis fuit creatus dictus Dux Opificum.

Veyt.

Veyt. *vbi supr.* & *cap.* 23. *num.* 1. qui non solum invigilaret, & furta vitaret, sed & puniret delinquentes, dict. Veyt. *dict. cap.* 23. *num.* 8. Et cum hæc omnia furta antevisa fuerint à nostris Regibus in suis ordinationibus, pœnę etiam, quibus fures punirentur, recensentur, vide Beyt. *lib.* 2. *cap.* 14. *numer.* 4.

16 Praxis autem harum ordinationum, & pęnarum non est in illa classe, adeo vt nec cognoscatur Iudex ad pęnam in casu culpæ imponendam. Præfecto penitùs negatà, & OpificumDuci non cōcessà tali iurisdictione. Casum referam, ex quo comprobantur hæc omnia. In quadam carina cuiusdam navis Regiæ, in die maximæ operationis, & maximi periculi, nempè in qua navis extremè volvitur tanquam super aquas iacens, quam vocamus *dia de quilla* Misi pro illa magna functione omnes species carinarias desiderabiles, & petitas, & potiùs superfluas quam paucas. Sed cum pro secundo, & cum summa instantia maiores specierũ summæ peterentur ab Officialibus mediante Generalis nuncio, species prædictas statim remitti iubentis, & adstantis illi operationi. Excessum notans, & admirans dissimulavi, species petitas mittendo, certiorando tamen Generalem demissis paucis retro horis, & hesterna die, impossibili mihi visà consumptione specierum traditarum adeo, vt (Generali dixi per nũcium) non solum non possunt esse consumptæ, sed nec de loco in locum separatim mutatæ, & positæ.

17 Ad huius acris ponderationis iustificationem iusit Generalis nō introduci secundas species à me missas. Insuper iusit

iusit omnes Officiales absque pallijs, & bursis suorum instrumentorum trãsire in scapham proximã, vulgò *batel.* Iusit tandem quæri species, quas suspicabat furtim ablatas, & invenerũt dimidiam partem specierum à me prima vice misarum iam furto ablatam, & latenter coopertam, iam in bursis instrumentorum, iam subter pallijs, iam in alijs occultis fabricæ ligneæ, *de la planchada*, in qua laborabant, tot inventæ fuerunt vt post vsum necessariarum, finito die superfuerint multæ, quas Generalis remisit in horreum, intactis manentibus speciebus secunda vice misis.

18 Ad pœnas transire volens Generalis, cum Iudicem ad hæc destinatum non esse cognovisset, ipse posuit in carcerem, *à calabozo*, illos qui maiores partes furati fuerant (omnes enim plùs minùsvè partem absconditam habebant, & furati erant) Scripsit casum Dom. Proregi Duci de la Palata tunc illorum Regnorum Gubernium tenenti. Qui misit ad furti inquisitionem Iudicem Militarem belli *al Auditor General*, à quo supplicium acceperunt, quanquam leve, & non illà audacià dignum. Talis, & hæc est in illo Regno de hoc desidiosa, & incuriosa praxis.

19 Debuisset pro his, & similibus determinatus esse Iudex, de sua que iurisdictione, & potestate certus, vt omni cura, & vigilantia his studeret malitijs cognoscendis, & vitandis, qui nõ longè esset ab eis, vt eius præsentia abstinerentur promptius, & frequentiùs, qui denique esset sapiens, & peritus harum legum municipalium potius, quam generalium iuris, cum huiuscemodi furta diversam naturam sapiant à reliquis furtis. Nullusque mihi occu-

occurrit promptior, & acommodatior Opificum Duce. Ita Beyt. *lib. 1. cap. 23. num. 7.*

20 Remedium his malis apponendum nemo enixiùs desiderat, & desiderare debet, quam Præfectus: illius enim interest multum, cuius quippè patientia, & diligentia ex his furtis summè vexatur. Et ratio est in promptu, quia fures non furantur species ignobiles, & quarum datur copia, sed nobiliores, quæ non reperiuntur, quæ pluris constant, & deficiente tali rara specie in fervore, v. gr. carinæ summè vexatur providens deficiētia quęrens, & non inveniens. Pausat Opificina. Arguitur improvidentiæ Præfectus. Qui summus dolor providis, & vigilibus Pręfectis esse facile creditur. Debet igitur clamare, & vociferari, & ministris in navi assistentibus petere nimiam curam, maximamque ab eis diligentiam adhibendam, & vt suspectos denuncient, vt arceantur, vel puniantur. Ergo suspiciosum (repeto) & malitiosum illum volo; in dies enim crescente malitia, & cupiditate, crescit etiam fallacia, & culpa: & si veterem culpam non audeant exercere, novam invenire, & exequi audebunt malè factores. Multos homines, præcipuè infimos, & viles (nescio qua infidelitate, aut ignorantia ductos) plerumque parvipendere vidi Regis, Gazæque Regiæ nocumentum. Invigilet ergo Præfectus. De omnibus furtum, & fraudes timeat. Hic timor, immò, & suspicio in illo non est culpabilis, præsertim cum vniversaliter de omnibus timeat, & particulariter, de solo apprehenso.

21 Advertendum. Antequam ad carinā deveniatur recognoscuntur na-

naves à Magiſtris maioribus, à Generali, Almirale, Viſore Generali, Opificum Duce, & alijs perſonis iuxta ea, quæ tradit Veyt. *dict. cap.* 23. *lib.* 1. *n.* 3. *& ſeqq.* & nunciantur opera, quæ neceſſario fieri debent, vt ſecurum exitum habeat carina, & navigatio. Prædicuntur omnes ſpecies carinariæ in pondere, numero, vel menſura, quibus carina indiget, vt à Præfecto cõparentur, & in promptu ſint, ne carina retardetur. Fit etiam in hac relatione computatio pecuniaria neceſſaria pro Opificibus laboraturis, & præſtatur Præfecto, vt ait Veytia *dict. num.* 3. mediante (vt moris eſt) Prorege, qui per decretum iubet præfatam relationem Præfecto tradi, non ratione pecuniarum, quas Præfectus non recipit, nec ſolvit, nec curat, ſed ratione ſpecierum, quæ prævisæ ſunt neceſſariæ ad carinam, vel fabricam, eo fine vt Præfectus provideat, & eas omnes habeat promptas, & ad manus, antequam fabrica incipiat, ne non præparatis fabrica retardetur.

22 Hæc navis recognitio omitti non debebat vllo prætextu, ſaltim ad præparationem ſpecierum neceſſariarum. Quia ſi carina initium ſumeret non prævia illa præparatione ſpecierum, quæ commodè emuntur in non vrgentia temporis, fortè accideret, vt in vrgentia cariſſimè emantur; maximumque inconviens eſt, quod in carinæ progreſſu deficiat aliqua ſpecies, & principalior forſitan; quia in vrgentia temporis, & feſtinatione, nihil commodè emitur, omnia pretio ſummo venduntur. Quid ſi non invenirentur ſpecies, quæ quæruntur? Ceſſabit carinatio quæ imprudenter incepit, in quo Navis, & Rex dam-

num, & iacturam patiuntur.

23 Hæc recognitio poteſt etiam deſervire ad hoc, vt aliquis eo pretio carinam ſumat ſuis ſumptibus faciendam, quod vocamus, *al deſtajo*, illam pecunię quantitatem finita carina accepturus à Rege, quæ in recognitione navis taxata fuit ab omnibus recognoſcentibus. Sicut aliquando evenit tẽpore Proregis Archiepiſcopi, & quidem minori ſumptu Regio. Hoc vnum notavi ſemper certum. Pretium impenſum in carinis, quæ hucuſque factæ fuerunt cura Regia ſemper fuiſſe maius pretio deſiderato, & petito in recognitione navis. Accedunt enim fraudes, & furta, quę pretium extollunt, & quæ in conſiderationem non venerant tempore recognitionis, & computationis.

24 Videre licet omnes carinas præcedentes dictam carinam ſubhaſtatam tempore Proregis Archiepiſcopi. Omnes fuere cariores iſta. Hoc notavi, quod poſt illam carinam ſubhaſtatam, renuunt iam facere illam recognitionem ea forma, quà vtebamur. Etſi deſinit fieri, ea ſolum mente, ne iterum ſubhaſtentur carinæ, ratione non nituntur: Id enim, quod aliquando audivi nempè: *opera ſubhaſtata male fieri*, non eſt generaliter verum, nec in illo caſu fuit, nec in alijs ſubſequentibus carinis Regijs ſi hoc modo fieret, erat facile verificari. Non eſt generaliter verum; quia ſubhaſtantes poſſunt timere Deum. Non fuit verum pro illo caſu; quia, nimirum, carina ab effectu cognita fuit optima. Naves iter longum incolumes arripuerunt, & redierunt eadem ſecuritate incolumes. Non erit verum pro futuris; cum non ſit facile Magiſtrum cari-

næ male operari, & falsum carinam dare intervenientibus Generali, & Duce maris, & belli, & Opificum Duce, ad quorum satisfactionem debet talis carina præstari, & perfici, vt colligitur ex Veyt. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 7. *in fin.* Qui omnes procul dubio sæviores existent contra talem male operantem Magistrum, si (vt aliqui detrahunt) contra ipsorum Officia credunt subhastationem carinarum esse. In his profundiùs indagandis, & similibus adducendis, & inquirendis plura congerere poteram, quæ ob brevitatem omitto. Et ad alia transitum facio, quæ ex carina dependent.

*** *** ***

CAP. IX.

De Opificibus in carina laborantibus, & ad quem spectet eorum nominatio, laborisque solutio?

1 ADmodum difficilis res, scrupulosa minis. Si in speciebus ad carinam præparatis furta inveniuntur, vt dixi; quæ furta in contrectatione pecuniæ, quæ est species cęteris omnibus amabilior, non invenientur? Certè solutio laboris Opificum vndequaque est (vt video) circũvallata fraudibus, & malitijs. Cui hęc cura solutionis incumbit, non tàm Regaliam, seu prærogativam (vt aliquãdo audivi) habere, quàm onus grave subire, meo qualiquali iudicio videtur. Multis opus habet, vt conscientiæ quieti consulat. De hac solutionis cura sermonem instituere

nolebam, cum ea exutus, & exoneratus, tàm praxi, quàm Proregis verbali ordine inveniar. Sed cum neglector onerum mei officij pro libito meo tuta conscientia esse non possim, cum res, cum suo onere transeat ad quemcumque, ex cumulatis in axiom. iur. litt. R. n. 76. & Regis sit onera imponere honorato, iuxta illud vulgare: *Commoda qui sentis, iungas onus emolumentis*, & quæ traduntur à Doctorib. *ad leg. Secundum naturam, ff. de reg. iur. leg. 1. de inst. act.* Card. Tusc. *litt. O. conclus.* 144. Escal. *lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 9. Propter hanc rationem aliquid dicam de tali cura, de mandato Regis, & de praxi.

2 Duplex debet hic res considerari. Prima est Opificum nominatio, ad quem spectet nominare, vocare, obligareque ad laborandum? Secunda est solutio laboris Opificum, cui incumbat? Primum punctum nō debebat certè digladiari. Nil de eo dicerem, cū nullum scrupulum sentiam, sed quietem animi in eo, quod exoneratus inveniar ab illo, & qui ex scrupulo loquitur, in non scrupulo tacet. Sivè Magister maior sit solum, qui Opifices accersat, sivè maiori, vel minori providentia hoc egeat, non est materia scrupuli, nec zeli. Secundum verò, vtpote quod conscientiam vexat, maiori eget indagine.

3 Vtraque res ad Prefectum pertinere videtur, & honos illi cū hoc onere datus. Verba tituli referam: *Haziendo dàr carena, y aparejar los Navios de todo lo que os pareciere necessario.* Et quamvis hæc generalitas sufficiens reputari deberet, cum & minima comprehendat, Barb. *in leg. Cum Prætor*, §. 1. *num.* 112. *de iudic.* ad expressionem vtriusque postea

ſtea venit: *Y para que esto se pueda hazer con la brevedad que conviene, podais compeler, y apremiar à los Carpinteros, Calafates, Camelladores, Cordeleros, Herreros, Boleros, Toneleros, Marineros, y otros Maestros, y Oficiales, que sirvan, y trabajen en sus oficios.* Quid clarius pro eligendis Opificibus ab ipſo Præfecto? Poſtea ſubdit: *Pagandoles los jornales que huvieren de aver*: ergo Præfectus debet ſolvere cum reliquis Miniſtris ad id deputatis.

4 Idem ſcribere videtur Veytia *en ſu Norte, lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 26. ibi: *Toca al Proveedor el nombramiento de las Maestranças, de Carpinteros, Calafates, Marineros, Peones, y otra qualquiera gente que huviere de trabajar.* Hoc denominatione Opificũ. De ſolutione autem tradit hæc verba, *d. cap.* 27. *Debe tambien nombrar apuntador de los jornales de las Maestrançeas.* Etſi non deberet intervenire ad eorum ſolutionem, fruſtra eſſet eos in memoria habere, cum fruſtranea ſit potentia, quæ non reducitur ad actum, iuxta Philoſophoſ. Veyt. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 6. *Visite la gente que trabajare, y la haga apuntar, para que al tiempo de la paga no se paguen las plazas que no ayan servido.*

5 Dices. Verum eſt hæc onera in principio fuiſſe Præfecto impoſita: aſt poſtquam fuit ad hæc creatus Opificum Dux, iam non Præfecto, ſed iſti Duci incumbunt. Reſpõdeo. Hic Dux Opificum ſubrogatus (licet cum maiori authoritate) fuit loco illius à Præfecto nominandi, vt in navi exerceret curam, tàm de ſpeciebus, quàm de Opificum labore, Veyt. *dict. cap.* 22. *num.* 29. *&* *cap.* 23. *num.* 1. Cumque ſubrogatus ſapiat naturam eius, in cuius lo-

locum subrogatur, §.*Fuerat instit. de act. cum vulg.* Tusch. *litt.S. conclus.*757. cum alijs, & nominatus à Præfecto nullo modo potuisset absque Præfecto vtrumque facere, necOpificumDux poterit sine illo vtramque rem pertractare, bene autem cum illo.

6 Præterquam, quod tàm meum diploma, quã Veytia locuti fuerunt post talem creationem Ducis Opificum, ambo mentionem faciunt de hoc Duce, & eius exercitio. Audi Veyt.*dict.lib.*1. *cap.*23. in quo de Opificum Duce sermonem instituit. & *num. 6.* dum de obligatione Ducis circa Opificum nominationem loquitur, ait: *Y que si los Oficiales no fueren à proposito, lo advierta, para que los despidan, y reciban otros.* Quod verbum, *lo advierta*, clarè demonstrat non esse suæ obligationis nominare, cum non sit, eijcere; & solum posse ponere in considerationem; quod importat ly, *lo advierta*: argumento eius, quod de absolutione dicitur à DD. nempè posse absolvere, qui condemnare potest, & è contra, Tusch. *litt. A. conclus.*40. cum absolutio, & condemnatio in eadem specie iurisdictionis sint, Novar. *quæst. for. lib.* 1. *quæst.* 154. *num.* 8. Menoch.*de arbitr.lib.*1.*quæst.* 43. *num.* 3. Farin.*fragm. crimin. litt. A. num.* 7. Et de solutione, *dict. loco numer.*7. ait: *Y debe assistir à los pagamentos de las Maestranças, para que no se pague mas, &c.* quæ verba illum includunt; non tamen alios excludunt, cum vnius, & alterius eadem sit ratio, & neutrius præsentia alteri sit contraria: quæ sunt exceptiones à DD. traditæ specialiter à Thom. de Thomaset. *reg.*148. Tretacin.*variar.resol.*1. *tit. de consuet. n.*13. *vers. Huic.*

Hæ

7 Hæ ſunt conſiderationes, quæ pro parte oneris non reſpuendi, immò & ſolicitandi pro Præfecto faciunt. Pro parte contraria praxis negata. Cum ab anno 1685. quò munus ſubivi, non incumbere hoc onus Præfecto reperi, & animadverti. Incubuiſſe aliquando anteceſſori liquidò conſtabat; ſed etiam conſtabat de poſteriori non incumbentia, ignorata, ſeu abolita excluſionis ratione. Huic inventæ excluſioni, & muneris derogationi tacens ſuccubui, quietem animi potiùs, quam dilatationem fimbriarum ambiens, vſque dum aliquis non indoctus conſcientiam meam preſsit, rationibus prædictis me vrgens, quibus & ſequentem addidit. Quanquam Gaza Regia (aiebat) in ſolutione Opificum modò ſit bene gubernata à Miniſtris, qui aſsiſtunt, certum eſt Regem aliquid amplius exigere, dum ipſum onus etiam Præfecto impoſuit; quod onus, ſi voluntarie à Præfecto non exercetur, illum in ſtatu peccati lethalis conſtituit, non ſolum quando malæ ſolutiones evaderent, in quibus furtum conſideraretur; ſed quamvis non evaderent malæ, nec furta ſequerentur, propter omiſsionem craſſam, aut affectatam in re muneris proprij, & periculum poſſibile.

8 His rationibus non parvipendendis vexatus conſultationem feci Dño Proregi, omnia prolixe narrans; tàm onus iniunctum, quod ex relatis verbis deducebatur, quàm abolitionem præteritam excluſionis, & praxim negatam. Addendo, quod ſi hæc incluſio ad ſolutionem Opificum reputatur, vt favor, Privilegium aut Regalia renuntiabilis, illi expreſſe, & incunctanter renuntiabam, *leg. Cum pa-*

ter,

ter, §. *Libertis*, *ff. de leg.* 2. *leg. poteſt*, *ff. ad leg. falcid. cap. ad Apoſtolicam extra, de regular. cap. Si de terra in fin. de privileg.* Anton. Gom. *var. tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 17. Surd. *conſ.* 198. *num.* 2. *& conſil.* 318. *num.* 3. *& alijs.* Iuſſus fui adeſſe, & intervenire iuſtificationi Opificum, & ſolutioni. Adfui. Tranſierunt octo dies; & (mira res) ordinem contrarium ſuſcepi, licet non ſcriptum, verbalem tamen, non interveniendi ſolutioni. Mira res (repeto) tantum fuit mea aſsiſtentia à Miniſtris ſolutioni aſtantibus deſiderata, quantum ab ipſis non aſsiſtentia poſt primam hebdomadam contradicta.

9 Non recordor in tam brevi octo dierum ſpatio me aliquid feciſſe, quo indignus redderer ſociorum tam honoratorum ſodalitio. Vnum feciſſe reminiſcor. Catalogum Opificum mihimet feci, notavi ſtipendia, & ſumptus vnius hebdomadæ, catalogum iſtum non fidi, nec tradidi meis Officialibus, nec vlli hominum. Mea enim intentio erat obſervare hoc ipſo modo ſtipendia, & ſumptus vlteriorum hebdomadarum, aut menſium, & conferre inter ſe omnia, vt ego ex me ipſo ſcirem omnem ſumptum carinæ, vel fabricæ Regiæ, quin à computatione aliorum in hoc dependerem. Qua diligentia ſecreta adhibita ſperabam contradicere, vel me contradicturũ cuilibet maiores ſumptus alleganti, vel manifeſtanti. Si enim non ego ipſe ſummam facerem, ſed pro me alius; ille alius (ſi vellet) poſſet me ſeducere pro libito ſuo.

10 Hoc feci. Sed hic modus à me excogitatus (fortè, quia notaveram ſumptus fabricarum Regis ſummè, & incredibiter creſcere, & aliquos pau-

pauperes in hoc intendentes, brevissimo tempore ditescere) non potuit (credo) socios meos iustos irritare, cum de Gaza Regia summè zelantes eos considerem. Immò (vt veurm fatear) gratias ab eis de hoc mihi dandas sperabam. Mea me fefellit spes, & imaginatio. Rumor fuit obortus super hoc insolito modo. Arguerunt me nō confidentiæ, vtpote, qui meam schedulam, seu catalogum nulli volebam fidere. Dixerunt esse contra authoritatem sociorum huiusmodi schedulam separatam; & secretam facere. Nunquam percepi, quomodo, aut in quo hæc mea schedula simplex, & privata authoritati sociorum derogaret.

11 Ex hoc capite me non fuisse expulsum credo à societate iustorum, & bonorum famulorum Regis. Aliquid aliud (fateor) arbitratus fui in ordine ad iustificationem stipendiorum (non enim reputavi iustum dare Opifici stipendium pro libito suo, sed secundum iustitiam, vel pactum, de quo infrà aliquid dicam) sed neque hoc, propter easdem rationes, sufficiens erat, ad hoc, vt me, tam citò expellerent, quem nuper invitaverant.

12 Sed quid me fatigo anxius de actione aliena, cum mea me non fatiget? De se ipso solum, & de suis actionibus vnusquisque est rationem redditurus. Motiva huius expulsionis, ego ignoro. Ipsi contradictores sciunt. Dicant. Ego duo scio, & dicam. Vnum: Si hæc interventio pro stipendijs, & sumptibus fabricarum Regis non fit cautela, & modo à me excogitatis, manet porta aperta ad infinitas fraudes, & contra Regem furta, quæ fortè in præterito fuere propter idem. Secundum: Ex tunc

illius verbalis decreti me excusantis, conscientiæ, & animi quiete magna, nec de Officialibus quærebam, nec de ipsorum solutione indagabam. Læto animo ab hoc onere exutus inveniebar.

13 Sed, iterum ad Troiam Achilles. Iterum ad vexationem scrupulus ortus, tàm ex meliori, me præsente modo solutionis, & summè iustificato, quàm ex sequenti quæstione, quam ad trutinam sapientum idemmet meus scrupulus offert, & proponit. An onus iniunctum à superiore alicui officio possit ab inferiori tolli, adeo vt exoneratus tuta conscientia possit illud nõ subire, nec sit in obligatione adeundi superiorẽ? Et licet pro affirmativa possint facere ea, quæ adduximus suprà cap. 4. ex Ponte *de potest. Proreg. titul.* 7. §. 6. *num.* 3. nempè Proregem esse quasi alterum Regem: *Alter ego, &c.* iuncto etiam, quod dicebamus in cap. 6. *ex leg. Observandum in fin. ff. de Offic. Præsid. authoritatem sui officij quemque defendere debere, non autem onus, &c.*

14 Negativam tamen verissimam reputo. Sufficiente pro illa hoc solidissimo irrefragabili fundamento: quia, scilicet, inferior legem superioris tollere non potest, *leg. Firmum*, 2. *Cod. de Offic. Præf. Præt. cap. Cum inferior, de maior. & obed. gloss. in cap. fin. vers. Sic figura, de hæred. in* 6. Surd. *consl.* 58. *n.* 3. *& cons.* 558. *num.* 3. & alijs citatis *in axiom. litt. L. n.* 72. Adeo vt non solum contra legem superioris non possit decernere, sed nec præter, nec interpretari eam, Tusch. *lib.* 1. *conclus.* 119. *num.* 10. Solumque inferiori est licitum ambiguitatem interpretari, non nova constituere, & multo minus contraria, Escal. *lib.*

lib. 1. *cap.* 12. *cas.* 9. *num.* 1. qui pro ea allegat *legem Hæredes palam*, §. 1. *ff. de hæred. inst.* ibi: *Nihil enim nunc dat, sed datum significat*, *leg. Adeo*, 7. §. *Cum quis*, *ff. de acquir. rer. dom.* ibi : *Non novam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit*. Ergo cum hæc non aſsiſtentia Præfecti à Prorege iuſſa, ſit contra aſsiſtentiam à Rege iuſſam, onus à ſuperiore iniunctum, dicendum videtur non potuiſſe Proregem exonerare Præfectum à tali aſsiſtentiæ onere. Inſuper nec Præfectum poſſe ſuperſedere, nec tuta conſcientia negotium ſic relinquere, ſed debere ab ipſo Rege oraculum ſuæ voluntatis auſcultare, aut ſaltim à Supremo Indiarum Senatu, in quo Regia poteſtas reſidet Regium nutum exigere. Exequar antequam ab hac Madriti Curia diſcedam.

15 Et quia hæc nominatio, ſolutioque Opificum poteſt aliquando Præfecto iterum incumbere, vel quia Rex ſuam priſtinam de hoc voluntatem declaret, & renovet, vel quia alij Proregi placeat, vel fortè ipſi (iam enim vidimus illam circa ipſum negotium facili negotio variam) & quia in iſta hypotheſi hæc res eſt magni momenti, & maximam diligentiam, & vigilantiam ab aſtantibus petit, obligans omnes, & vnumquemque in ſolidum ad iuſtitiam ſolutionis, propterea aliqua ſcitu digna prælibare oportet, in quibus poſteris cōſulens retegam damna, verſutias, & fraudes, quæ in hoc puncto committi poſſunt in Deum, & Regem.

16 Fraudes, quæ in hoc materia fieri poſſunt, ad tria culparum capita reducuntur. Primum. Si Officialibus verè laborantibus alij non laborantes adnumerentur, & ad-

iungantur. Secundum. Si non solvatur iuxta qualitatem laboris, fiantque ad solutionem Officiales, qui ad laborationem fuerunt, & sunt tyrones, *Aprendices*. Tertium. Si producto solutionis verè, & realiter factæ superaddatur quantitas, quæ verè soluta non fuit.

17 In primo, & tertio capite possunt delinquere omnes solutioni astantes, eamque iustificantes. In secundo, specialius peccare possunt Opificum Dux, & Magistri maiores, quibus incumbit certa meritorum scientia, Veyt. *dict. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 6. & 7. ibi: *Para que no se pague mas de lo que efectivamente se huviere trabajado, y merecido.*

18 Prima culpa multipliciter fieri potest. Aliquando fit colore pietatis, vt satisfiat (aiunt) Magistris maioribus; qui maiori stipendio vbique gaudent. Ipsis præiudicium à Rege videtur fieri dando illis medietatem stipendij, & ex illis laborantibus auctis, & fictis redintegrantur in suo iusto stipendio. Hæc pietas est iniusta; voluntarie enim ex contractu libero cum Rege sunt stipendiarij Regis cum illo minori proventu, quem percipere debent habitualiter, hoc est, etiam in tempore non fabricæ, seu in quo nullam carinam, vel fabricam præsentem Rex habeat: cur ergo in occasionibus, seu actualibus fabricis stipendium multiplicaret? Fraus tandem fit in hoc Regijs ordinationibus id cum illis contrectantibus.

19 Accidit etiam ratione amicitiæ, aut particularis occupationis; v.g. si aliquis ex Iudicibus, qui solutioni astant, egeat aliquo Opifice Regio, illum præsentem facit Regi potiùs, quam sibi, cum Rex,

&

& non ipse solvat illi, & in schedula laborantium scribitur, vt mercedem non laboris accipiat, vel (vt proprius dicam) vt accipiat mercedem laboris, non in Regis, sed in ipsius Iudicis vtilitatem, habiti. Hoc si fiat plena assistentium notitia, non solum peccant, sed ad restitutionem tenentur hoc facientes.

20 Idem dicendum quoad secundum culpæ genus. Quando scilicèt solvẽs clarè cognoscit solutionem fieri supra merita, peccat, & ad restitutionem tenetur. Ita omnes Theologi cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. apud Vazq. *de restitut. cap.* 9. *dub.* 1. Lugo *de iust. & iur. disp.* 19. *sect.* 1. Molin. *tom.* 3. *disp.* 729. *& seqq.* Omnes enim isti comprehenduntur in particula *Consensus* versuum restitutionis, qui sunt abecedarium Moralistarum. In quo nulla contraria opinio inveniri potest. Quia illi tenentur ad restitutionem, qui positivè concurrunt ad furtum, & qui sunt causa, vt damnum inferatur, quod alioqui non fuisset secutum. Ita Gabr. Palud. Navarr. & alij, quos congerit Vazquez §. 1. *dub.* 1. *num.* 2. Sed Ministri astantes solutioni, & scientes talem Officialium suppositionẽ, aut sinentes solvi extra merita, certa scientia positive concurrunt ad furtum suo *Consensu*, suntque causa illius damni illati Gazæ Regiæ, quod alloqui non sequerètur illis reluctantibus, vtpote solutionis Iudicibus: ergo non solum peccatum incurrunt, sed restitutioni obnoxij manebunt.

21 Tertium culpæ genus non eget probatione petita est circunstantia *Consensus*, nec ex alia, sed ex tota natura furti; ipsa enim tertia culpa integra est furti diffinitio, contre-

cta-

ctatur enim ibi res aliena invito domino, aliquid addendo producto solutionis, dummodo illud additum sit materia ad furtum sufficiens.

22 Possunt autem hęc fieri absque malitia Ministrorum solutioni astantium, vel saltim non omnium malitia. Facilis, & generalis doctrina. Tenebitur malitiosus: Reliqui autem aliquando tenebuntur, aliquando non, secundum gradum fallaciæ, qua decepti sunt, & gradum diligentiæ, quem adhibere debebat. Loquar primo de culpis, ex quibus tenebitur solutioni astans; postea dicam malitias, quas callere, & fugare debet quilibet astans, vt à culpa immunis evadat.

23 Culpa varie graduatur, & dividitur. A Theologis in quinque gradus, Vazq. *de restitut. cap.2. §.2. num.9.* Oñate *de contract. tom.2. tract.5. disp. 15. sect. 1.* & alij ab istis citati: A Iurisperitis tamen triplici gradu circunscribitur: Latæ, levis, & levissimæ. Ita Borcholten *ad §. Item is cui res instit. quib. mod. re contrah. oblig. num.5.* Nam culpas, quas Theologi addunt, & vocant latiorem, & latissimam, nostri vocant dolum apertum, vel præsumptum, *leg. Magna, 226 ff. de verbor. significat.* ibi: *Magna negligentia culpa est: magna culpa dolus est.* Quod vt clarè in nostri favorem cognoscatur, verbis Vazquezij vtar, nam latissimam culpam appellat, *quando non solum vllam diligentiam non posuit ad non decipiendum, sed adhibuit calliditatem, fallaciam, aut machinationem ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum.* Hic est dolus apud Legistas, *leg. 1. ff. de act. empt.* vel mentiendo, *vt in leg. Falsus, §. Si quis, ff. de furtis.* Latiorem vocat eam, *qua licet non*

non adhiberet actionem fallacem positivam ; tamen adeo minimam diligentiam adhibuit, vt præsumptio sit contra eum voluntariæ passivæ deceptionis, seu de eo, quod facile ab alio se ipsum sineret, aut vellet decipi. Hæc à nostris dolus nuncupatur, etsi præsumptus.

24 Positis his tribus culpis, lata, levi, & levissima, quas possunt incurrere Ministri solutioni astantes propter suas negligentias, quærendum est, quando teneantur ex alieno dolo supposita propria negligentia, qua illũ non vitavit? Ante responsionem sciendum, his tribus culparum gradibus correspondere tres gradus diligentiæ, nempè diligentiam nudè sumptam, diligentiam exactam, & diligentiam exactissimã. Quilibet gradus diligentiæ correspondet cuilibet gradui culpæ, aut negligentiæ. Diligentia correspondet latæ culpæ: Exacta diligentia correspondet levi culpæ, & exactissima correspondet levissimæ culpæ. Nam idem est dicere vnumquemque debere adhibere exactissimam diligentiam, ac teneri etiam de levissima culpa, aut negligentia, & debere adhibere exactam diligentiam, ac teneri de culpa, seu negligentia levi: & debere adhibere diligentiam, ac teneri de lata culpa. Sic Borcholten, & omnes institutarij ad d. §. Cum Legistis.

25 Exactissimam diligentiam adhibent prudentissimi homines in suo exercitio, aut professione. Exactam prudentiores. Diligentiam positivam adhibent homines prudentes, omnesque Patres familias in suis rebus pertractandis, & peragendis. Non autem adhibere aliqualem diligentiam, est non facere, quod omnes faciunt, nec intelligere, quod

quod omnes intelligunt; idcirco lata culpa ei correſpondet, *leg. Latæ culpæ*, 223. *ff. de verbor. ſignific.* ibi: *Latæ culpæ finis eſt non intelligere, quod omnes intelligunt.*

26 His ſuppoſitis, veniamus ad quæſitum nempè. Qua culpa teneatur Præfectus, aliuſve ex-aſſiſtentibus Miniſtris ex dolo inferiorum? Quod eſt idem, ac quærere: quam diligentiam debeat adhibere in Opificum, Officialiumque labore ſolvendo, vt non ſeducatur ab inferioribus? Et caſu quo ſeducatur, liber, & immunis maneat à peccato? Reſpondeo cum Vazquez *cap.* 2. §. 2. *num.* 18. & alijs, quos ipſe citat, Miniſtros debere præſtare eam diligentiam, quam prudentes adhibēt in proprijs rebus adminiſtrandis, & conſequenter ſolum teneri ex lata culpa, hoc eſt quando ſeducuntur, aut dolus, & fraus adhibetur ab inferiori, aut latrone, quia ipſi non fecerunt, quod prudentes faciunt, aut non intellexerunt, quod omnes intelligunt, *dict. leg. Latæ*, 223. *de verbor. ſignificat.* Convenitque ei omnis diffinitio culpæ quæ eſt: deviatio ab eo, quod bonum eſt, quod per hominis providentiam provideri, & evitari potuit.

27 Suppoſito, quod per dictam culpam peccatum incurrant, quæritur, an teneatur ad reſtitutionem? Et ipſe P. Vazq. *num.* 18. affirmat teneri propter rationem iam dictam, nempè: quia ille tenetur ad reſtitutionem, qui debet damnum vitare, quod aliàs poterat; ſed qui tenetur diligentiam ponere, quam prudentes homines ponunt, debet vitare damnum reſultans ex non poſita diligentia, qua poſita non ſequeretur (aliàs careret culpa lata) ergo tenetur ad reſtitutionem.

De

28 De levi, & levissima non tenentur ex prę-cepto, hoc est: Ad exactam, & exactissimam adhibendam diligentiam nō tenentur ex præcepto: ex consilio omnes vellem, & moneo teneri, & quod non in limine sistant diligentiæ, sed ad exactam, & exactissimam diligentiam pertranseant. Amor, & fidelitas erga nostrum Regem nos alliciat ad exactissimam diligentiam præstandam circa Regiam Gazam. Non contenti necessitate obligationis sufficienti ad excusationem peccati, transgrediamur omnes malitias adstricti Regis amantis confidentià thesauros suos in nostris manibus ponentis, & exactissimos nos desiderantis. *Fidelius tenetur quis rem alterius administrare quam suam*, ait Tostatus *cap.*14.*lib.*4.*reg.quæst.*14. Arist. *ethic.* 4. Barth. *ad leg. Videamus de in lit. iur. leg. A tutoribus*, 33. *de administ. tutor.*

29 Ratio autem cur non teneamur ex levi, aut levissima negligentia, neque ad exactam, & exactissimam diligentiam est, quia nemo potest obligari ad hoc, vt prudentior, & prudentissimus omniū existat; sed si Præfectus, & reliqui Ministri pro solutione astantes, levi, & levissima, qua seducerentur, culpa tenerentur, necessario sequeretur eos obligari ad esse prudentiores, & prudentissimos hominum: ergo non tenentur ex iustitia de levi, nec de levissima culpa, sic Vazq. *dict. loc. num.* 17.

30 Vt autem Præfectus posit facere in re Regis, quod omnes in re sua administranda faciunt, & intelligere, quod omnes intelligunt, iuxta dictam legem latæ culpæ, vt omne peccatum ab eius incumbentia procul sit, & restitutio pecunię contrectatæ eum non teneat, aliquas malitias, & fraudes,

quæ passim eveniunt, & sese mihi offerunt, manifestas faciam, quibus nuda diligentia obviam iri posse cognovi.

31 Prima fraus patrari potest ab ipsis nostris Officialibus, quibus committitur cura scribendi nomina omnium laborãtium, quos nuncupamus, *Apuntadores*. Maxima cautela cum eis nobis opus est, iuxta illud vulgare: *Vbi maius discrimen ibi cautus agendum*. Bene itur hac suspicione duce: Officiales pauperes, cito divites cum detrimento ministerij, quod contrectant ditescunt, vt in simili arguit Escal. *in suo Gazophilaz.*

32 Bifariam ab scribentibus hæc fraus potest committi. Primo scribendo in memoria laborantium numerum maiorem vero. Si viginti laborantibus, v. gr. triginta scriberentur. Sciant Ministri huic fraudi non occurri solvendo quadam hora determinata ab ipsis, v. g. in fine hebdomadę, etiam facta solutione immediata de manu Ministri ad manum Opificis; facile enim disponet Officialis fraudulentus illa hora venire quos ipse voluerit, & de manu illorum falso laborantium pecunia transibit ad Officialem, vel in toto, vel in parte. Quo munusculo accepto, iam non potest non tacere obligatus manens, illum præsentem faciet, & scribet alijs vicibus. Minutiæ ridiculæ sunt hæ, sed necessariæ pro vitandis maioribus. Illud adaptatur celebre apothegma Magni Ducis Cosmæ de Medicis traditum ab Escal. lib. 1. cap. 3. *Se io non tenessi conto de le cose piccole, non potrei far le grandi*, & vt ait Casiod. lib. 11. var. 37. *Et publicæ rationes per difficiles minutias colliguntur*, Liv. *declam.* 39. *Accuratam in parvis diligentiam maiorum esse conservationẽ.*

Hac

33 Hac ergo diligentia non sufficiente, invigilet maioribus remedijs, quæ malitijs ianuam omnino claudant. Se ipsum Præfectus immisceat laborantibus, visitet illos passim, singulis diebus, si possibile sit. Cognoscat eos ex vultu, & labore. Iustitiam nominæ, vel catalogi, & indicis sui Officialis ipse Præfectus in ipsa carina examinet, & exploret. Hoc debet facere quicumque, cui tale onus iniunctum est; & non delegare illam curam alij, cum ibi electa videatur persona ad hanc personalem invigilantiam, Nov. 30. *ad Proc. Cappad. cap. 7.* ibi: *Neque item in locum suum dimittet Vicarios*, *leg.* 26. §. *Libertus*, *vers. Sed si*, *ff. de condit. indeb. leg. Nemo*, 5. *ff. de duob. reis.* 29. Secundo potest hæc fraus Officialium committi, & aliquando commissam de facto audivi nescio an falso. Relata refero, vt suspiciosum faciam Præfectum posterum. Nempè si absque notitia Ministrorum solutioni astantium, productum, seu cumulus totiùs pecuniæ postulatæ pro Opificibus carinæ augeatur indebite, & inter eos dividatur.

34 Huic fraudi, & notorio furto adhibita facili hac diligentia occurret Præfectus, quam dixi num. 8. Catalogum Opificum, & solutionem stipendij qualibet hebdomada factam (suppono eam iuste, & rite factam modo supradicto) apud te serves, & non illum catalogum fidas vlla ratione Officialibus, immò nec sciant (si possibile sit) hanc diligentiam à te esse incohatam. Ab Officiali petendum est productum primæ solutionis conferendum cum producto à te annotato. Productum secundæ hebdomadæ adiungendum est producto primæ, & sic de reliquis.

Et sic finita carina scies quantitatem impensam in Opificum solutione absque eo, quod à scribentibus Officialibus hanc noticiam emendices. Hoc modo tu illis legem pones, & non tibi ponent illi. Et non poterunt productum augere, quin furtum cognoscas.

35 Dicent mali Officiales, lucem in tenebras convertentes, has minutias esse indecoras Præfecto, & ipsis intollerabilem illum defectum confidentiæ. Si hæc dicunt, fere certa est illorum culpa; nam bene agens oculos sui superioris desiderat, vt bene acta probet testisque sit puritatis, integritatis, & rectitudinis ab eo obseruatæ: nam ocularis inspectio est excellentissima probatio, Afflict. *decis*. 23. *num*. 6. Farin. *prax. crim. quæst*. 69. Vnde Horat. *de arte Poet*.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Vnde Sen. *epist*. 6. ait: *In rem præsentem, vt venias, oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt*. E contra quæ clandestine fiunt, suspicione non carent, *cap*. 1. §. *Cum enim* (& ibi Gloss. verb. Occultum) *vt Eccles. benef. sind. confer*. §. *Consuluit*, §. *Ne verò*, *ff. de offic. delegat*. Illa & similia eructant malé operantes de quibus David: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde*. Ne Præfectum turbent dolosorum querelæ; illæ sagittæ, & similes, quę ab eis eructantur plus excitent, quam exanimient. Adhibe diligentiam maiorem fraudibus.

Alia

36 Alia fraus, licet minoris momenti frequẽter accidit, quæ est ita. Si in domo alicuius ex scribentibus fiat aliquod opus, aut artefactum, pro quo ille scribens indigeat aliquo ex Opificibus, qui Regi laborant, extrahet illum de labore Regio, domi suæ laborabit, & eum pręsentem faciet, quę minor, aut maior fraus erit respectu temporis consumpti. Quid, si in ipsa Opificina, aut Navali Regio, *Atarazana*, Officialis, aut Minister dolosus iusserit aliquem, vel aliquos Opifices sibi, & non Regi laborare? Difficile hæc fraus cognoscitur; cum enim Præfectus videat illum Opificem laborantem, credet Regi laborare, & non solum non laborat Regi, sed ex lignis, seu materiali Regio, stipendio Regio, illi Officiali, vel Ministro dolosa laborat, & inservit. Suspicax Pręfectus sagaciter ad manus Opificum attendat an dum remos facere debet, mensas faciat. His fraudibus lignarijs plus attendi debere credo, postquam pro eis vitandis creatus est Magister maior Fabrorum lignariorum assignato illi stipendio, qui vulgo dicitur: *Maestro Mayor de la Carpinteria de lo blanco.* Cuius Officij suppresio, & extinctio in magnam cederet Regiam vtilitatem. Quære, & Cave. *Quæ scelere parta est, scelere relinquitur domus.* Sen. *trag. in Mœd. act.* 1.

37 Alia fraus committitur à Magistris maioribus, vel potest committi; qui, postquam in littore nomina laborantium scripserit, vt ad navem pergant, & ipse cum eis ad navem accedit, eis contramandat, & mittit ad naves particularium, quarum carinæ ipse etiam curam habet, restitutionis tamen Regi non habens cu-

curam. Vt huic fraudi occurrant, qui solutiones iustificant, debent non manere contenti prima nominum in littore scriptione, sed ad NavemRegiam ire distinctis diei horis, & laborantes recognoscere, & numerare.

38 Quod plus difficultatis habet, & ideo plus sagacitatis petit, est quando in ipso maris littore carinantur Regiæ naviculæ, cimbæ, vel scaphæ, *bateles, lanchas, &c.* Solent Magistri aliam naviculam particularemRegijs approximare, curat enim de omnibus. Dum Ministri Regis adsunt, fideliter Regi laborāt Opifices numerati, & memorati. Statim, ac Ministri discedunt, incipit fraus. Opifices sapientes transeunt ad carinam cimbæ particularis deserentes Regiā, puerum tironem exploratorem linquentes, qui à longè videns Præfectū, vel quemvis Ministrum zelantem, cuia interest, venire, illos moneat, vt particulari cimba relicta, ad Regiam transeāt. Hanc fraudem certam esse ego ipse aliquando cognovi. Et quanquam Opificum, & Officialium solutio pro Præfecto non declaretur, sed è contra declaretur Præfecto non incumbere, vigilare super istis debet; nō enim potest declarari ipsum vigilare non debere, cum carinę Regię speciebus carinarijs à Præfecto præstandis indigeant, quarum accumulator, & dispensator est, & vigilantissimus zelator debet esse indispensabilis.


39 Præfatæ calliditati facillimè obviam itur observando praxim pro hoc statutam, quæ in viridi est, nempè, quod in Navali Regio, *Atarazana*, nec cimba particularis fabricetur, nec carina ei detur. Alio loco æque commodo, immò commodiori, quà flumen mare intrat,

trat, ad id deputato. Hæc locorum diſtinctio inviolabiliter ſervetur nullis precibus ſuper hoc attentis, quia hac ſola facili obſervantia adhibita multæ fraudes vitantur, & ea non adhibita non poſſunt vitari.

40 Ex his fraudibus, alias Præfectus facili negotio poteſt olfacere. Certum eſt illas quotidie de novo pullulare. Eſt ingenioſa fraus, & malitia, terra ferax vbi doli naſcuntur, ſicut in ſimili Virgil. *lib. 6. Æneid. Vno avulſo non defuit alter, & ſimili frondeſcit virga metallo:* Omnes fraudes diſcutere eſſet impoſſibile. Curavi viam oſtendere, vt ex iſtis aliæ noſcantur. Non ceſſandum eſt Præfecto (hęc enim eſſet negligentia in Officio vigilantiſsimo) & non ceſſando, & vigilando cum recta intentione, & zelo Regij lucri cognoſcet omnes malitias, & illis remedia facili applicatione poterit apponere.



LI-



LIBER TERTIUS, DE OFFICIO PRÆFECTI ANNONÆ.

CAPUT PRIMUM.

De modo providendi Annonam, & de Dotibus Annonarum.

1 ROmanos, quos duces habuimus in erogatione, & diſtributione Annonæ, etiam habemus in providendo, ſeu in ſubſtantia providendi, licet non eodem modo. Romani à Provincialibus Annonam exercitus in proprijs ſpeciebus exigebant, & accipiebant pro ſingulis quaternis menſibus conſumẽdam, vt videre eſt in *leg.* 15. *Cod. Theod. de Ann. & tributor. tot. tit.* tàm *Iuſtin.* quàm *Theodoſ. de erogat. militar. Annonæ*. Quæ, *capitatio* vocabatur, *leg.* 2. & 7. *Cod. Iuſt. de exactor. lib.* 10. vbi & ratio præſtatur, cur ita vocetur, & ibi Perez, qui diſſertè agit de Opinatoribus, qui erant miſi cauſa militaris Annonæ petendæ, numer. 5.

Qui

Qui de omnibus circa hoc Romanorum ritibus profundius erudiri voluerit, adeat Paratitlon *de re militari, Cod. Theod.* vbi incipit: *Nunc de rerum apparatu, subsidioque, &c. & sequent.*

2 Sat nobis sit pro re præsenti scire Romanos Imperatores nil de proprio ærario pro exercituum necessitatibus impendere, adhuc ærarijs redundãtibus ratione tributorum, aliunde à Vassallis exactorum. Nam, vt ait Constantin. *dict. leg. 2. de exactor. Omnes fore credimus proniores ad solvenda ea, quæ ad nostri vsum exercitus pro communi salute poscuntur.* Et quando tributa Provincialibus imposita non faciebant satis Militum victui, & exercitus sumptibus, omnes, & singuli obligabantur, *leg. vnic. vt nemini liceat, titul. 27. lib. 10.* & ibi Luc. de Penna; sed quia de hoc postea, nil amplius modo.

3 At Peruani, quamquam non in proprijs speciebus, sicut Romani, eminentiori tamen modo, nempè in pecunijs, fideliter, & abundanter contribuentes, omnibus Classium, & Militum angustijs providemus. Vnde ad hoc inveniuntur erectę propriæ dotes, seu dotationes pro Classe Peruvica, Classiarijs, & Militibus, pulchrè correspondente cuilibet diverso sumptui, diverso tributo. Cuius rei cognitio, vtpote quam necessariam iudico non solum Præfectis Annonæ, sed & Proregibus, & alijs Ministris, ne cæco modo operentur, & vectigalia diversa confundant, minutiori eget explanatione. Ideo sigillatim de varijs tributis pro varijs sumptibus in varijs §§.

4 Dictum manet lib. 2. cap. 1. num. 8. triplicem esse Annonam, seu trifariam posse Annonam cõsi-

sideraii. Alia est Classiaria, quæ datur navigantibus, dum Classis iter agit Thesauris Regis, & Vassallorum onusta in Panamam transportãdis. Quod est proprium munus huius Classis ita consulentis, tum Regis Gazis vlterius progressuris, tum divitijs Particularium pro celeberrimis Nundinis, quæ in Portubello celebrantur.

5 Alia, quam ego Militarem voco, est quæ debetur certis personis ex indulgentia, vel Regis, vel Proregis, qui nec navigationem faciunt, nec deserviunt Classi naviganti, estò quod aliqui ex his, mediatè, vel dispositive Classi deserviant.

6 Tertia est quæ debetur Triremibus, Remigibus, & in Insulam condemnatis ad eruendos lapides, & eorum custodibus Militibus huius Præsidij in hoc Portu Callaï degentibus.

7 Vnicuique harum Annonarum diversum vectigal, seu *Portorium*, vt ait Solorçan. *Polit. Ind. lib. 6. cap. 9.* correspondet, vt sine confusione vnaquæque suo veluti patrimonio, seu dotatione gaudeat.

8 Pro prima, & præcipua huius Classis Peruviçę Annona introductum fuit tributum, quod nuncupatur, *Averia*. Cumque hæc prima Annona solum præstetur, quando Classis navigat, tributum pro hac solum quando Classis navigat, solvitur. Pro secunda Annona introducta fuit gabella, hoc est, *Alcavala*, & *Almoxarifazgos*. Pro tertia introducta fuit, *Sisa*. Et vt hæc profundius intelligantur, horum tributorum origines ex legibus, & Auctoribus transcribam.

(?)

§. I.

§. I.

De Vectigali. Aueria.

1 A*Veria* (vt ait Veitia *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 1. idem importat, ac dos, seu dotatio Clasis. Et vt ait Escalon. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 1. *Es derecho maritimo, y naval, por cobrarse à titulo de los gastos que tiene su Magestad en sustentar Armada en el Puerto de el Callao, de donde se conduce todos los años, para Tierra-Firme, el tesoro Real, y la hazienda de Particulares.*

2 Cœpit tributum hoc eo tempore, quo Clasis Regia instrui cœpit ad onerarias naves protegẽdas. Sciendum enim est, in primis Indiarum annis thesauros, tàm Regis, quã Vassallorum, non in Navibus Regijs, nec in munitis, sed in Particularibus, quæ nec offendere, nec defendi poterant, transvehi. Hac ignavia vigente in hoc mari Pacifico (fortè vigente, quia in Pacifico) infeliciter accidit, vt quidam Pyrata Anglicus nomine Franciscus Draque facili manu deprædaretur omnes dictos thesauros propè Insulas Regis, quæ non longe à Panama distant.

3 Quo imbelli casu, bellicose motus Exc. Prorex Dom. D. Martinus Enriquez Naves Regias magnas (vt decebat) cõstruxit, tormentisque bellicis, & militibus munivit vt tutè thesauros transportarent. Ecce necessitatem tributi pro Regiæ huius Classis sumptibus solvendis ab illis, quorum interest thesauros incolumes navigare, & evadere, cum iuxta commune iuris: quod in alicuius commodum vertitur, ab eodem solvi debeat, & clare ostenditur in *leg.* 1. *lib.* 9. *tit.* 9. *Novæ Recop. Ind.* ibi: *Y porque las dichas Ar-*

muedas son en beneficio, y seguridad de todos los interessados, y cargadores, y de los que vàn, y vienen de las Indias, pareciò, y fue justo, que todos acudiessen, y contribuyessen con lo necessario para su costa, y gasto.

4 Et adeo iustè in hoc Portorio Rex noster se gessit, & gerit, vt quamvis aliàs Gazæ Regiæ sint exemptæ, & ab omni exactione immunes, vt advertit Escalon. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 7. Hunc casum excepit, & illas libenter, & benignè huic Portorio submisit, solvens pro ratà sumptus, qui in hac Classi fiunt, eo quod partialiter pro suo Regio thesauro etiam tuendo, fiant. *Y se cobrasse de lo que se nos traxesse, lo que justa, y proporcionadamente à Nos tocasse, como de la de particulares Vassallos nuestros.* Quæ largitas Regia, & benignitas motivum fuit abvius, vt mox dicam.

5 Hoc portorium *Averia* solvitur, & extorquetur ab omnibus commerciantibus, & navigantibus pro rata pecunię, mercium, & aliarum rerum, quas vehunt, & revehunt, sic Solorçan. *de Iur. Ind. lib.* 4. *cap. vnic. num.* 56. licet Escalon. *loc. cit. n.* 2. solum ex pecunijs hoc Portorium deducendum asserat: pro Solorçan. tamen stat *lex* 1. *tit.* 9. *lib.* 9. *Nova Recopil. Indiar.* ibi: *Plata, perlas, &c.* Etiam stat ratio; eadem enim militat, vt æquè ad sumptus concurrat, qui numos, quam qui merces fert, cũ pro vtriusque tuitione æquè Classis impendat. Stat etiam praxis; certum enim est hoc Portorium æquè ex pecunijs, ac ex mercibus pecuniam valentibus erui.

6 Mitte, & tenue hoc Portorium incœpit; dimidium enim ex quolibet centenario solvendum, sufficiens erat ad totiùs Classis sumptus. Labentibus

tibus annis crevere sumptus: Crevit ergo, & Portorium, & brevi eo devênit, vt duo ex centum solverentur, ita Escalon. *dict. cap.* 7. *lib.* 2. *part.* 2. *n.* 4. quem sequitur Veyt. *dict. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 4.

7 Fateor non posse hoc Portorium facilè taxari, seu prædefiniri; cum enim debeat commensurari sumptibus Classis, cum sumptus nequeant prædefiniri propter incertum valorem Annonę dependentem ex abundantia, vel sterilitate fructuũ, & consequenter ex caritate, vel vilitate pretij pro illorum emptione, hinc est quod sumptus Classis eisdem constantis navibus aliquando maiores, aliquando minores fiant, quod clarè colligitur *ex leg.* 5. *lib.* 9. *tit.* 9. *Nova Recopil. Indiar.* ibi: *Y porque no se puede dàr punto fixo en el repartimiento de Averia, respecto de ser vnas vezes mas, y otras menos, y tambien los gastos de las Armadas, &c.*

8 Cui varietati prævisæ, vt occurreret Rex, lenitate erga Vassallos solità, in fine legis, & in *leg.* 43. *eodem titulo*, terminum Portorio prædefinivit, & maximum, quod sic (vt aiunt Philosophi) huius iuris, *Averia*: nempè quod duodecim ex quolibet centenario ad summum solvantur, *doze por ciento*, & si aliquando contingat ob temporis crudelitatem vlterius sumptus crescere, de Regio ærario solvatur excessus, ibi: *Y que si respecto de la costa que se causare en el despacho, y sustento de ellas, saliere à mayor cantidad, se pague de nuestra Real haziende lo que excediere.*

9 Et licet hoc de *Averia* solvenda in alio Mari, nempè Occeano, vel Mediterraneo dictum videatur, & non de solvenda in illo mari Peruano, & Pacifico, vbi solum duo

duo ex centum extorquẽtur, & sufficiunt; tamen cum ratio sit eadem, & ex eodem principio petita, nempè ex non sufficienti dotatione Clasis, dicendum videtur dispositionẽ debere esse eandem ex vulgatis cum *leg.* 1. *Cod. Sacros. Eccles.* & sentiendum, vel philosophandũ esse eodem modo proportione servata, tàm quo ad primam taxationem Portorij, quàm quoad vltimam, augmentum, vel decrementum, minimi, quod sic, vel maximi, quod sic.

10 Præsertim cum plus antiquatum videam hoc Portorium, *Averia*, respectu commercij Hispalensis, quam respectu nostri commercij Peruani. Si quidem Hispalense, vt tradit Veyt. *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 48. non tanquam Portorium, sed tanquam donativũ solvit pro sumptibus Clasiarijs 790000. ducatorum. Circa quod variæ fuere repræsentationes à commercijs factę ab anno 1660. vsque ad annum 1667. quas refert idem Veyt. ibi. Quæ omnia clauduntur *in leg.* 46. *eiusque nota finali, dict. lib.* 9. *tit.* 9. Novæ Recopil. Indiar. Præfatum novum modum contributionis approbante, leges in contrarium loquentes infirmante, & illas solum, quæ nõ obsunt huic novo modo, in suo robore relinquente. Igitur standum est dicto modo introducto anno 1660. secundum quem debet contribuere commercium Limanum trecenta quinquaginta millia ducatorum.

11 Respectu cuius commercij Peruani, hoc Portorium, *Averia*, non est antiquatum, sed in administratione concessum eisdem debitoribus, seu commerciantibus, quod non est antiquari Portorium, sed perfici; cum secundum Ascafenũ, *Clas.* 5. *ord.*

ord. 524. relatum ab Escal. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 9. *gloss. litt. K. & M.* Vtilius sit, quod vectigalia alijs locentur, quam quod ipsi Domini per Ministros exigi ea curent.

12 Supposito, ergo, quod ipsi debitores huius Portorij sint Administratores eiusdem, seu habeãt illud in administratione, seu conductione, vt veri conductores, suppositoque, quod hoc Portorium sit taxatum, seu prædefinitum, incidimus in quæstionem, cui ipsi debitores, Administratores, & conductores occasionem dedere: nempè.

13 An in hac hypothesi si sumptus Classis excedant vires, & taxationem Portorij, possit, & debeat excessus ab ipsis debitoribus, seu administratoribus extorqueri? Dixi *ipsos quæstioni occasionem dedisse*, quia ipsi sunt, qui sumptus notabiliter maiores causant, & expostulant. Factum ipsorum aperiam (& attentè legatur, ex huius enim cognitione, erit brevis, & facilis resolutio dubij aliàs difficilis.) In principio, seu in primis Classibus Regijs (& quod plus est, & maxime notandum) tempore conductionis huius Portorij, *Averia*, quando scilicet ipsi debitores illud conduxerunt, & cœperunt esse debitores simul, & conductores, seu administratores ipsius Portorij, sumptus Classis erat levis, quia Classis vehens thesauros, tum Regium, tum Particularium iter breve quindecim, regulariter, dierum navigabat, vsque ad Panamam, & sine mora ibi dictos thesauros relinquebat statim regressura ad Callaum.

14 Noviter in his posterioribus Classibus à prædicto commercio Peruano ennixe est petitum, vt prædictæ Naves Regiæ non

non statim regrederentur ad Callaum, sed manerent in Portu Panamensi, donec nundinas in Portubello perfecissent, eo fine, vt è Portubello regredientes naves paratas haberent, quæ eos iterum in Callaum transferrent. Commoditas pulchra, sed sumptuosa; non enim possunt illà vtifrui, absque eo, quod per sex menses tota Classis Regia in illo Portu Panamensi moram faciat. Ex quo sequuntur, tanquam consequentiæ multa absurda quæstuosa, & periculosa, quæ ad duo principaliora reduco. Primum est. Periculum Navibus; est enim ille portus valde periculosus. Secundum est. Sumptus notabiliter magnus; cum enim illa Panamensis Regio sterilis careat multis speciebus necessarijs vulgaris Annonæ, opus esset triplicatam Annonam ferre, & consequenter triplicatos sumptus facere.

15 Ex quo facto talis oritur quæstio: An pro illo maiori sumptu Portorium, *Averia*, debeat augeri vsque dum commensuretur sumptibus? Videtur quod non. Et probatur; quia hoc vectigal iam est conductum, & in naturam locationis, & conductionis transijt, & pretium illius iam est taxatum, seu prædefinitum; & pretio taxato in conductionibus, nulla innovatio fieri debet.

16 Sed contra. Videtur quod sic, & probatur; quia hic triplicatus sumptus non fuit præsens tempore conductionis, sed de novo expostulatus ab ipsis conductoribus, & statim dolosa apparet talis expostulatio protegi satagens cum natura conductionis.

17 Quam quæstionem à nemine ex omnibus, quos legerim, in terminis terminatibus scriptam reperi, ex eo, quod hæc

hæc facti contingentia forte nunquam accidit: tum quia ipsi debitores onus, seu collectam nunquam conducunt: tum quia dato casu, quo conducerent raró, aut nunquam continget, vt ipsi conductores maiores sumptus à locatore petant. Omnes quos vidi, Authores de materia huic affini tractantes, tàm de Regalibus, quàm de Collectis scribentes, incidunt in tritam satis quæstionē: An posit augeri, vel minui pretium rei conductæ propter fertilitatem, vel sterilitatem contingentē? Pro qua, quia ad nostram nobis viam aperiet, & totum effugium commerciantibus claudet aliqua dicam.

18 Omnes de locato, & conducto scribentes generaliter tenent remissionem pretij fieri debere à locatore propter sterilitatem, dummodo sterilitas, seu fortuitus casus accidat nullo hominum cōsilio providere, seu impedire potente, ita Gomez *tom. 2. cap. 3. num. 18.* & ibi Ayllon, Covarrub. *in practic. cap. 30.* per totum, Cevallos *in comm. q. 57. & quæst. 727.* & alij innumeri, quos citat, & congerit Balmased. *de collect. quæst. 53. lex Si merces, §. Vis maior, ff. locati, leg. Ex conducto, §. 1. eodem titul. leg. Licet, Cod. eodem, cap. Propter sterilitatem, eodem tit.* Ex nostro iure Regio, *lex 22. tit. 8. part. 5.* Gregor. Lop. *in leg. 3. verb. Como si, tit. 2. part. 5.* Azeved. *in leg. 2. tit. 9. lib. 4. Recopil.* Qui autem casus fortuitus, quæve sterilitas dicatur accidere nullo hominum consilio providere potente? Extra nostrum est. Qui voluerit, adeat Balmasedam loco citato, Hermosill. *in leg. 3. tit. 2. part. 5. gloss. 9. num. 7.* Ex hac doctrina deducitur, quod sicut propter fortuitum casum, v. gr. sterilita-

tis poteſt penſio minui, ita etiam propter advenientem fertilitatem, & abundantiam poteſt augeri, cum à pari procedant.

19 Hæc tamen doctrina adaptari non poſſe videtur locatoribus Regiarum Gabellarum propter *leg.* 2. *tit.* 9. *lib.* 9. *Recopil.* cuius verba ſunt hęc: *Mandamos, que ſea avido por ley general para en todos los arrendamientos de nueſtras rentas, que los Arrendadores que arrendaren nueſtras rentas, las cojan, y recauden à toda ſu aventura, poco, ò mucho, lo que huviere, ſin poner en ellas, ni en alguna parte de ellas deſcuento alguno, aunque daño, ò perdida, ò mengua venga en las tales rentas, por fuego, ò por robo, ò por agua, ò por guerra, ò piedra, ò nublado, ò por otro caſo fortuito, ò por cauſa, ò razon qualquier que ſea, ò ſer pueda, mayor, ò menor, ò igual de eſtas, penſada, ò no penſada, quier las dichas guerras ſean dentro de eſtos Reynos, quier fuera de ellos, quier ſean por Mar, quier por Tierra, y aunque ſe muevan, y comiencen por nueſtra parte, &c.* De cuius iuſtificatione aliquando dubitavit, D. Caſtillo vt ipſe tradit *lib.* 3. *controverſ. cap.* 11. *num.* 23. & D. Menchac. *controverſ. illuſtr. lib.* 1. §. 20. *part.* 2. *num.* 67. dum vterque in magno Regię Gazę Conſilio Senatores eſſent, & Balmaſ. *num.* 14. Larrea *alleg.* 17. *num.* 1.

20 Et tamen hi Doctores, præſertim Larrea *allegat.* 18. Menoch. *conſil.* 171. *n.* 4. & alij, quos citat Balmaſed. *de collect. quæſt.* 53. *num.* 12. retenta doctrina, *dict. leg.* 2. cum diſtinctione procedunt. Nam vel ſterilitas facto Principis, aut ſuorum Miniſtrorum evenit, vel non. Si facto Principis eveniat, debet fieri remiſſio penſionis, non obſtante deciſio-

sione *dict. leg.* 2. *leg. Stipulatio ista*, 38. *ff. de verb. obligat. leg. Fluminum*, 24. §. *Quanquam, ff. de damn. inf. leg.* 3. *ff. de noxalib. leg.* 45. *ff. ad leg. Aquil. leg. Cotem ferro*, §. *Qui maximas, ff. de public. & vect. leg.* 21. *tit.* 8. *part.* 5. & alijs, quas citat Larrea *d. allegat. num.* 3. In secundo autem casu, quando scilicet, advenit sterilitas sine facto Principis, suorumvè Ministrorum, locum præstant, *d. leg.* 2. quanquam cum formidine contrariæ opinionis. Quando autem adveniat sterilitas facto Principis? Vide Larream loco citato.

21 Ex hac doctrina solum infero ad resolutionem nostri quæsiti: Ergo si facto Principis sterilitas adveniat, debet remitti pensio, non obstante decisione, *dict. leg.* 2. Ergo à contrario. Si ex facto conductoris augeatur sumptus, aut crescat extra vires, vel superando vires Portorij, debet crescere, & augeri Portorium, nam pari passu incedunt minutio, & augmentatio pensionum, vt omnes Scriptores ad hanc quęstionem firmiter tenẽt, ex eo quod eadem debeat esse ratio lucri, & damni, argumento *leg. Ex conducto*, §. 1. *ff. locati*, & quia contrariorum eadem est ratio, & disciplina, *leg. fin.* §. *fin. ff. de leg.* 3. *leg. Inter stipulantem*, §. *Sacram*, *ff. de verb. oblig.* & etiam, quia qui sentit commodum, & incommodum debet sentire, *leg. In naturam*, *ff. de regul. iur.* cum alijs, quas tradit Gomez *dict. loco*, & Ayllon *ibid. num.* 19. Sed sic est, quod sumptus crescunt ex facto commercij, seu ex mora voluntaria navigationẽ Clasis prolongãte: ergo ab ipsis solvendi sunt prædicti sumptus. Nec possunt se pacto locationis defendere, eo quod sit pacto posterior præfata mora, quæ doli na-

naturam sapit contra contractus sinceram conventionem.

22 Non offero arbitrium collectandi, aut ampliandi hanc collectam (quod absit à me) vide Solorçan. *tom.* 2. *de Gubern. Indiar. lib.* 1. *cap.* 18. *numer.* 5. Timerem enim authoritates quas pro illustratione huius materię, *num.* 5. colligit Balmas. *de collect. quaest.* 2. Vnum non tacebo, quod ad me spectat, quia est mei muneris, videlicet tributum, *Averia*, nuncupatum esse dotem, seu dotationem Classis Peruvicæ, omnesque sumptus illius Classis deduci debere ex hoc tributo, vel Portorio, seu illo cooperiri. Si Mercatores à Prorege maiorem sumptum petant, & iustum Proregi visum fuerit, concedatur; sed ab ipsis, & ex ipsis solvatur. Hoc suadent rationes allatæ. Si nolit Prorex eos plus gravare, sed applicare alium effectum, seu tributum applicabile, v. gr. *gabellæ*, vel *Almoxarifazgo*, ita fiat, si fieri potest, secundum dicta, & dicenda. Si autem vult Mercatoribus annuere, & effectum, seu pecunias pro hoc placito, non habeat ad manum, melius erit proculdubio extendere hanc collectã, *Averia*, quantumvis locatam in certo pretio (quod post fieri propter rationes supradictas) quam novam collectam indagare, & imponere, & (quod peius est) homines decipere non solvendo pretia mercium pro Annona sublatarum sine Dominorum voluntate, in quo multum iniustitię relucet, vt postea dicã. Minus iniustum est omnes aliquid amplius pro Portorio solvere, quam veros Dominos merces suas perdere. Nullum aliud medium pro hac emergentia iustius reputo, quam quod ipsi Mercatores, qui sunt

huius

huius tributi conductores amplius solvant supra pactum, cum ipsi sint causa maioris sumptus excogitato. Præsertim cum semper audiamus tanquam certum deductum pro tributo, *Averia*, semper superare quantitatem ab eis solvendam.

23 Quantitas autem, quæ in Regno Peruano solvitur ab illo commercio pro hoc Portorio, sunt centum & duo millia argenteorum, *ciento y dos mil pesos*, pro qualibet Classe. Quantitas argenti producti in illo Regno, & concurrentis in omnibus Classibus, parva adhibita differentia, semper est eadem. Calamo adhibito facile omnes, cognovimus posse hoc Portorium augeri, & applicari maioribus illis sumptibus Classiaribus ab ipsis solventibus desideratis absque eo, quod aliquid de novo exactioni addatur. Hoc dico necessitate, & anxietate compulsus, quibus Præfectus vexor. Ex illo enim longiori itinere, seu mora crescit notabiliter Annonæ provisio, & decrescit tributum pro ea assignatum. Et causa tàm illius Annonæ incrementi, quàm istius tributi decrementi sunt ipsi tributi, seu Portorij debitores, seu conductores. Debeo facere maiores providentias, non datis numis pro illis. Si venditores, à quibus violenter merces Annonarias invitus extraho pretium suarum mercium acciperent, nihil dixissem, nec dicerem. Provideo omnibus. Provideatur mihi.

§. II.

De Gabellis. Alcavala.

1. ALijs dicendum linquo de ethymologia huius vocis. Alij dicant de iustitia huius Portorij, & an cessaverit cau-

causa, ob quam concessum fuit tempore Regis Alphonsi Vndecimi? &: An concessum in Hispania, seu introductum, debere protrahi, & extendi ad Indias? Quas quæstiones erudite, vt assolet, tractat D. Solorçan. *Politic. Indiar. in lib.* 6. *cap.* 8. ad quem Lectorem remitto.

2 Solum dico in Primordio Indiarum hoc ius non fuisse stabilitum, nec inveniri concessum, nec extensum: argumentum à posteriori probans non esse adeo necessariam extensionem Gabellarum Hispanarum ad Indias, quod non requirantur etiam causæ iustæ ad earum in Indias introductionem.

3 Positivè hæc ab hoc Portorio immunitas cauta fuit à Dom. D. Francisco Pizarro primo harum Provinciarum debellatore anno 1529. obtentaque ex Regia indulgentia pro decem annis, secundum Solorçano transcribentem schedulam, quæ extat inter alias typis datas, & vnitas, *pag.* 429. cuius verba sunt hęc: *Item prometemos, que por termino de diez años, è mas adelante, hasta que otra cosa mandemos en contrario, no impornemos à los vezinos de las dichas tierras alcavala, ni otro tributo alguno.* Et secundum Escalon. *lib.* 21 *part.* 2. *cap.* 9. hæc indulgentia non solvendi Gabellam fuit pro centum annis.

4 Anno vero 1574. generalia diplomata à nostro Rege fuerunt expedita, & missa in Indias precipientia huius Gabellæ, *Alcavala*, contributionem, quanquam (propter difficultates fortè ingruẽtes) ad praxim non fuerunt redacta, vsque ad annum 1591. in quo Exc. Prorex Dom. D. Garcia Hurtado de Mendoza, Marchio de Cañete aliud di-

diploma enixius, & vrgentius accepit, in quo istud negotium vrgebatur simul, & temperabatur secundum instructionem, *Arancel*, eidem Proregi missam de modo, & forma in hac exactione servanda: taxabat enim quantitatem solvendam, nempè duo ex singulis centenarijs, numerabat etiam nominatim res, de quibus Gabella solvenda veniebat, ita Solorçan. *lib.* 4. *de Indiar. gubernat. cap.* 1. *& vnic. num.* 49. & Escal. *loco citat.* Hæc huius Gabellæ impositio, & executio fuit maximum servitium inter reliqua à prædicto Prorege Regi præstita.

5 Huius Gabellæ exactio paulatim, sicut & aliæ, crevit ad quatuor ex quolibet centenario educenda, quæ per capitationem cœperunt distribui, Escal. *lib.* 1. *cap.* 13. *cas.* 10. *num.* 1. quemadmodum Romani Annonam solvēdam distribuebant, vt suo loco diximus. Deducitur autem hoc ius ex omni re, quæ venditur, sivè mobilis, sivè immobilis sit, & non pro vna vice tantum, sed pro omnibus vicibus, seu toties quoties res in contractum emptionis venit.

6 Huic insuper Gabellæ, *Alcavala*, accidit etiam idem quod Portorio, *Averia*, nempè, vt locaretur. Cum enim prędicta, & similia iura vtilius sit locare, quam administrare, secundum Escalon. iam traditum, & Solorç. *à num.* 59. propter rationes ab ipsis traditas, eisdem motus Exc. Prorex Princeps de Esquilache prædictã Gabellam Priori, & Consulibus Limæ, vtpote commercij Capiti, & Tribunali locavit per quindecim annos, quos ad novem restrinxit Rex, prædictam locationem in reliquo confirmans, ita Escal. *dict. lib.* 1. &

& lib.2. cap.9.num.7. Solorç. *lib.6.cap.8.* qui transcribit approbationem locationis factę anno 1618. die 16. Aprilis, dicto Principi Proregi remisam.

7 Per huius Proregis vestigia successores gradientes, vel eandem locationem prorogant, vel novam ineunt, antequam terminus præcedentis adimpleatur, iuxta monitũ, quod prædictus Prorex, tanquam expertus successori amico per litteras ministravit, quas refert Escalon. *lib. 1. dict. cap. 13. cas. 10. num. 2.* ibi: *Advierto à V.E. que antes de cumplir los arrendamientos que estàn hechos, conviene hazer otros, tratando de ello vn año, ò medio antes, por la distancia; y como basta oy no tiene para esta administracion, por mayor, ayuda ninguna el Govierno, V. E. ha de cuydar de todo, como hemos hecho sus antecessores.* Et certè omnes vidi vigilantes. Anno præterito 1694. fuerunt de novo factæ locationes ab Exc. D. Comite de la Monclova, nunc harum Provinciarum gubernaculum mirabiliter, & sapienter tenente.

8 Hactenus de origine Gabellæ, *Alcavala.* Aliquid videamus de causis, propter quas fuit introducta, & est debita. Duplicem causam ab ipso Rege datam, & assignatam invenio. Prima est. Sumptus magni facti, & necessario faciendi contra Fidei, & Regni Hostes numerosis Classibus Hispaniam infestantes. Secunda. Sumptus magni faciendi contra Pyratas mare Pacificum, naves, & Portus Peruvicos invadentes, Solorçan. *in Polit. Indiar. dict. lib. 6. cap. 8. fol. 974. leg. 9. tit. 19. Novæ Recopil.* Sed præ omnibus legibus, & Authoribus consulendum est diploma Regium circa impositionẽ huius Portorij,

tran-

transcriptum à Solorçan. *citat. loc.* & à me quoad hæc verba: *A que obligavan los Enemigos de la Fè, y de la Corona de España, infestando con gruessas Armadas, no solo sus Costas, y Mares, sino tambien los de las mismas Indias. Con que pareciò justo, y forçoso, que los que las habitavan, pues gozavan de las riquezas, y grossedad de ellas, ayudassen à los dichos gastos, con el amor, y fidelidad que de ellos se esperava. Y que assi se cobrasse de ellos en lo de adelante, à dos por ciento por el derecho de la Alcavala, &c.* Ex quibus clarè constat hanc Regij Patrimonij magnam partem addictã esse sumptibus Classiarijs contra hostes Coronæ. Quod etiam docet Escal. *dict. cap. 9.* ibi: *Despues la necessidad de formar, y sustentar en el Mar del Sur vna Armada suficiente para assegurar de Enemigos la hazienda, y personas de los Vassallos, y mantenerlos en paz, y quietud, obligò a su imposicion, que fue de dos por ciento.*

9 Ex his duabus causis Gabellæ, *Alcavala*, notatis, & perpensis oritur quæstio. Vtrum Regnum collectam solvens pro tuitione sui, & alterius Regni socij, possit prius providere alij socio, quam sibi ipsi? Aliter fere idem. An productum huius Portorij, vel Gabellæ possit converti in defensionem aliorum Regnorum non defenso Regno producente, aut non soluto debito facto pro defensione producentis, & Gabellam solventis?

10 Hæc quæstio aliam faciliorem supponit nempè: An Reges possint facere collectare vnũ Regnum pro tuitione alterius? Cui brevi calamo, affirmativè respondeo cum communi Theologorum, & Canonistarum. Præcipue Delben. *in tractat. de committijs, & Parlam. lib. 1.*

mor. dub. 14. Vazquez *in opusc. de rect. cap.* 6. §. 3. *dub. num.* 7. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 46. *dub.* 1. *num.* 5. *&* 6. ex Legistis Bald. Andr. Capirius, & Luc. de Penn. apud Pont. *de potestat. Proregis, lib.* 4. *num.* 47. Et propter rationis ibi adductas, tàm iuridicas, quàm politicas, quas recollegit Balmas. *de collect. quæst.* 2. *n.* 12. Paucas tangam.

11 Prima, quia hoc cedit in excellentiam, & bonum Regis, cuius bonum, & excellentiam Vassalli debent procurare, & promovere modo ipsis possibili, per tributa scilicet, vt idem Delbene *eod. tract. dub.* 8. *&* 9.

12 Secunda, quia si Reges prohiberentur alere regnum sterile ex pinguedine regni fæcundi, cogerentur passim relinquere regna, vel hæreditaria, vel iusto bello parta, ex eo solum motivo, quod sunt minus fœcunda, & rura illorum non faciunt satis illorum defensioni, ita Lucas de Penna *ad dict. leg.* 1. *Cod. vt rustici ad nullum obsequium, num.* 12. Vbi pro hoc eruditè varia exempla Sacræ Scripturæ adducit. Et de hoc loquens Thom. Sanchez *dict.* §. 3. *num.* 7. acriter invehitur in eos, qui passim blaterãtes dicunt. *Deserat Rex Italiam: Relinquat Flandriam, quæ plus obsunt, quam prosunt vno suo regno pingui sit contentus, quod sibi, & nobis maioris extitisset vtilitatis.* Merito invehitur contra hæc intellectuum superficialium deliramenta.

13 Tertia, quia vt ait Delbene, quod resultat in bonum partis, resultat in bonum totiùs, sicut etiam vice versâ, bonum totiùs est bonum partis, & consequenter bonũ vnius partis est bonum alterius compartis ex participatione mistici totiùs.

Et

14 Et vrgetur ratio. Tuitio vnius regni debilis ex collectis, seu tributis alterius regni cedit in bonum regni collectantis non solum consequenter, & illativè, sed etiam formaliter, & rigurosè, quod facilè probatur, quia ex tuitione regni infirmi resultat hostium distantia, profligatio, & eiectio; quæ maxima vtilitas est non solum regni inopis, sed etiam regni pro illo collectantis, id enim minus calamitatis sustinebit, quo distantiores hostes habuerit, And. *in cap.* 1. *§. Sed nec alia, num.* 40. *vers. Quid ergo*, Curtell. *loco citat.* Vazquez supr. ibi: *Nonnè salubrius erit, etiam si facultates in hoc omnes absumamus, vt inimicorum tela longè à nostris regnis confringantur, ibique belli impetum, non tamen tam propè sentiamus.*

15 Hoc assertum cum grano salis intelligendum dicerem, quando scilicet à regno collectante commodè possunt deduci expensæ, quibus aliud regnum tueatur, ita Delbene *dub.* 14. *num.* 2. *& dub.* 8. *&* 9. Si autem commodè deduci non possent, non est deducenda collecta ab vno regno, vt aliud defendatur. Nisi fortè calamitas regni indefensi, pro quo collecta est deducenda, sit extrema, & incommodum regni collectantis non sit adeò grave. Quæ hypothesis reducitur ad regulas iuris naturæ iuxta quod pars, adhuc cum sui læsione, partem extremi laborantem iuvare debet.

16 His breviter dictis pro primo quæsito. Respondeo ad secundum. Si quod exigitur ab vno regno ratione collectæ sit sufficiens pro vtroque regno defendendo, bene possunt Reges providere vtrique simul, immò & primum regno calamitoso, quam regno collectanti.

ti. Si vero exactum ratione talis collectæ non sufficiat propriæ defensioni regni collectantis pinguioris, neutiquam possunt Reges collectam ab vno regno indefenso extractam, ad aliud regnum indefensum transvehere, nisi aut collecta extendatur, aut sumptus regni collectam solventis minuatur.

17 Prima pars patet. Quia qui pluribus debet, si est solvendo, cuilibet potest primo solvere: ergo & Rex, qui ratione collectæ vnius regni est solvendo pro duobus, poterit, æquè primo cuilibet providere. Tertia etiam pars patet. Si enim collecta potest augeri, vel sumptus regni collectantis minui, adeo vt vtrique regno posit provideri, clara res est.

18 Secunda pars probatur. Primo ex eisdemmet rationibus pro contraria assertione in eamdem retortis. Si enim aliquod regnum manens indefensum posset collectare pro alio regno tuendo, maximè quia hoc cederet in excellentiam, & bonum Regis, & in bonum commune, & propter rationes huiusmodi, ast hæ omnes, & excogitabiles in prædicta hypothesi fortius militant pro regno collectante, quam pro alio: ergo indefenso manente regno collectante non possunt collectæ extrahi, & converti in bonum alterius regni quantumvis eiusdem Regis.

19 Minor probatur, tàm respectu Regis, quàm Vassallorum. Respectu Regis, quia si ideo vult succurrere regno indefenso sterili, quia timet, ne perdatur, idem potest timere de regno pingui collectante, cum indefensum similiter supponatur relictum. Et quod huic secundo timori teneatur Rex occurrere potiùs quam

pri-

primo, patet, quia ex duobus malis minus est eligendum, & maius malum esset perdere regnum pingue, quod posset collectare pro alio regno, quam perdere regnum sterile non valens se defendere: ergo vel collectæ debent augeri, vt valeant vtrumque regnum defendere, vel in hypothesi collectarum non sufficientium pro vtroque non possunt extrahi de regno collectante ad aliud regnum, regno collectante manente indefenso.

20 Respectu vassallorum. Ideo tenentur defendere aliud regnum, quia hoc cedit in commodum totiùs, & Regis, ad quod omnes naturali obligatione tenentur: ita Vazquez, & cæteri Theologi. Sed idem vtrumque commodum invenitur respectu ipsius regni collectantis æquè indigentis defensione: ergo eâdem, immò & fortiori ratione, &c.

21 Dixi *fortiori*, quia præter illam rationem communem proprio, & alij regno, alia relucet pro regno ipso collectante naturalis obligatio, quæ non viget pro alio, ita Divus Thomas *in* 1. 2. *quæst.* 60. *art. vlt.* Arist. *lib.* 2. *Polit. cap.* 4. *&* 6. ergo Regna sua tributa non prius pro tuitione aliorum Regnorum, quam pro propria solvere debent.

22 Confirmatur ex *leg. Præses*, 6. *Cod. de servitut. & aqua*, his pulchris verbis: *Præses Provinciæ, vsu aquæ, quam ex fonte iuris tui profluere allegas, contra statutam consuetudinis formam carere non permittet; cum sit durum, & crudelitati proximum ex tuis prædijs aquæ agmen ortum, sitientibus agris tuis ad aliorum vsum propagari.* Ergo fontes aureos, & argenteos Peruvij alijs Regnis, seu agris vertere sitientibus Regnis Peruanis, durum, & crudelitati proximum erit. Con-

23 Confirmatur quia charitas bene ordinata incipit à seipso. Est axioma iuris, Valasc. litt. C. *Omne enim ens naturaliter plus diligit se ipsum, quam alterum*, vt ait D. Thom. 1. *part. quæst.* 60. *art.* 4. *ad* 2. Cui consonat ius civile in multis: *Ideo inquilinus potest durante locatione à domo expelli, si eam Dominus suis vsibus necessariam habuerit, ita lex* 3. *Cod. de loc. & conduct.* ergo, &c.

24 Differentia est maxima inter obligationem, qua tenemur ad defensionem Regni proprij, & quà ad alieni. Ad defensionem Regni proprij summà vitæ obligatione tenentur incolæ. Potest Rex Vassallos compellere ad militandum, *cap. Igitur*, 7, 23. *quæst.* 8. quanquam vita hominum summè æstimanda sit, *leg. pen.* §. *fin. ff. de donat.* & advertit Luc. de Pen. *in leg.* 1. *Cod. vt rustici, lib.* 11. cum personæ sint cæteris rebus digniores, *cap. Præcipimus*, 12. *quæst.* 1. ideoque præferendæ, *leg. Sancimus, Cod. de Sacros. Eccles.* cum gratià hominum sint omnia inducta, *leg. In pecudum, ff. de vsu.* Teneri ergo omnes vsque ad vitæ discrimen omnes Vassallos pro conservatione Regni, vel Rexpublicæ, ait D. Thom. *in* 1. 2. *quæst.* 60. *art. vlt.* Solorçan. *lib.* 2. *cap.* 23. *à num.* 38. vbi authoritatem Ciceronis refert, qui *lib.* 2. *de legibus*, sic ait: *Respublica nomen vniversæ Civitatis est, pro qua mori, & nos totos dare, & in qua omnia nostra ponere, & quasi consecrate debemus, quia charior debet esse nobis Patria, quam nosmetipsi.* Sed quid probationibus egemus? Ius naturale hoc dictat, quamvis deficerent iura, & Authores, & leges.

25 Non tamen tenemur militare pro Regno, cuius non sumus incolæ,

vt videre est apud Larrea *allegat.* 62. *num.* 6. vbi circa hoc notandum venit Cantabrorum dictamen, *Vizcainos*, qui intra proprias Provincias absque stipendio, extra proprias, nec cum stipendio militant, nisi voluerint voluntarij servire: ergo quia proprij Regni defensio fortius adstringit, quam alieni: ergo, &c. Et confirmatur exemplo, quod tradit Solorçan. *lib.* 2. *cap.* 23. *à num.* 57. nam Feudatarij, & Commendatarij, qui aliàs tenentur sequi Regem, vt tradit Larrea *dict. allegat.* 62. *num.* 4. non tenentur, si extra proprium Regnum exeat, adeo vt nec si extra Provinciam. Ergo ideo est, quia defensio proprij Regni magis obligat quam alterius. Sic maneat sufficienter à nobis discussa proposita quæstio. Maneat firmiter resolutum, quod quando Regnum solvens collectam potest simul se ipsum, & socium defendere, benefaciet. Si autem non potest vtrique æquè providere, sibi ipsi provideat prius quam alij quantumvis socio, & amico.

De valore autem huius secundi tributi loquar in §. sequenti, de tertio tractans; vtrumque enim eodem modo solvitur vt statim videbimus.

§. III.

De tributo, quod dicitur, Almoxarifazgo.

1 Tertium Portorium, seu tributum, quod pro sumptibus Classiarijs est, nuncupatur *Almoxarifazgo*, non immorabor in protrahenda huius vocis erudita etymologia, nec in investigando, quid pro hoc Portorio de voluntate Regis veniat deducendum? Lectorem remitto ad *lib.* 9. *tit.* 26. *Nov. Recopil. Cast.* in

in quo titulo plenè de hac materia, & ad instructiones, vulgò *Arancel*, quæ instructionibus Gabellarum adiunctæ extant penes conductores huius tributi, qui hodie sunt commercium Peruani Regni, & ad Escal. *lib. 2. part. 2. cap. 6.* Quod enim ad nostrum institutum pertinet, est, tale Portorium esse ad sumptus maris; nam *Almoxarife*, vnde nomen sumpsit idem est, ac exactor redituum maris: *Cobrador de la renta del Mar*, sic Franc. Lop. Tamarit. Anton. Nebris. & Covarr. Thesaur. ling. Castell. *eodem titul. fol. 57.* quos tradit, & citat D. Solorçan. *de iur. Ind. lib. 4. cap. vnic. num. 53. & 55.* ibi: *Hoc vectigal pro tuitione maris*, Escalon. *lib. 2. part. 2. cap. 6.* ibi: *Fundase en el passage, y navegacion, que haze franca, y segura de enemigos el Principe, defendiendo los Mares, y Costas.*

2 Sic Gregor. Lop. *in gloss. 2. leg. 8. tit. 20. part. 2.* Vbi quærit an teneatur Princeps ad defendendum subditos à Pyratis, & Cursarijs mare infestantibus? Et respondet *teneri* cum maximo periculo, & sumptu, *ex quo percepit reditus, qui dicuntur, Almoxarifazgo*, Bobadill. *in Politic. lib. 5. cap. 4. num. 2.* Ioan. de Hevia *in labyrinto navali, lib. 3. cap. 1. num. 15.*

3 Hoc ius, seu vectigat, vt advertit Escalon. *dict. loco Gloss. litt. C.* Est vetustissimum observatū à Romanis tit. *quæ sint regal. in vsibus feud. sing. loc. in prima const. Nicephori*, ibi: *Vectigalia naviglorum*; *leg. Omnium, 6. Cod. de vectigal. leg. Inter publica, 17. §. Publica, ff. de verb. sign.* & alij, quos tradit Solorç. *dict. cap. vnic. n. 52.* Apud quos Romanos octava pars valoris mercium deducebatur, vt tradit multis citatis Solorç. *in Polit. cap. 9. fol. 977. col. 1.*

4 Supposito igitur, quod hoc Portorium ad servitium navium, & ad eas instruendas, & defendendas, & ad offendendum cum eis, sit impositum. Quæramus, quid pro hoc Portorio præstetur? Seu quid lucri Rex ex eo percipiat? Respondeo hoc tributum, sicut & supradictum, quod dicitur, *Alcavala*, hodie iunctim administrari, & vtrumque esse locatum à Rege, & conductum ab ipso commercio Limæ, & pro conductione illius Regi præstare quotannis ducentos & quatuor mille quadringentos quadraginta duos argenteos, seu vncias argenteas 24442. *pesos*. Et insuper in anno, quo nundinę in Portubello celebrantur, solvunt supra prædictos, quinquaginta mille argentos 50000. pesos, eo motivo, quod in illo anno maiores sumptus sint necessarij, & adhibeantur in armamento Regiæ Classis.

5 Cumque ex supradictis satis appareat nostro Regi incumbere defensionem Portuum, naviumque commerciantium, ex quo percepit reditus annuos, qui dicuntur, *Averia*, & *Almoxarifazgo*, vt sentit Gregorius Lopez, etiam liquido constat, sufficienter dotatam remanere hanc obligationem defensionis navium contra hostes, & Pyratas, vt satis armatæ possint defendi, & offendere.

6 Advertendum. Ex his duobus tributis iunctim administratis, sex ex quolibet eorum (in casu, quo separentur) deduci debent sumptus ordinarij, qui fiunt in Portu cum omnibus illis, qui in Navibus Regijs relinquuntur ad ordinarium earum custodiam, & servitium. Insuper ex eisdem tributis deduci debet omnis alia extraordinaria defensio, quæ extra tempus Clas-

ſiarium contra Pyratas fieri contigerit. Et ratio eſt evidens: quia hæc duo tributa præſtantur Regi, non vt cumque in ſignum dominij, & Vaſſallatus, ſed in recompenſationem ſumptuum, qui in Vaſſallorum defenſionem à Rege fiunt, vt tradit Solorç. *lib.6. cap.9. in princip. & verſic. Y aunque es verdad,* vbi poſt citatas aliquas Schedulas citat ſpecialem de hoc, quę extat *in 3. tom. pag.* 449. *anno* 1566. & ſpecialiter in defenſionem Navalem, vt apud eum videre eſt, & latius dicam. Cumque ſupradicta ſint, vel defenſiones formales, vel præviæ, diſpoſitiones ſcilicet ſapientes naturam formæ, ſeu defenſionis, quam præcedunt, & ſequuntur, nulla eſt ratio dubitandi, quin dicendũ ſit, & dici debeatur eas pertinere, & reduci ad hanc ſecundam ſpeciem Annonariam, vtpote generale debitum debitæ defenſioni à Rege faciendæ, vt mare ab hoſtibus pugatum maneat, & Vaſſalorum commercio planum, & ſecurum, & conſequenter ad hoc tributum huic ſecundæ ſpeciei Annonariæ correſpondens.

§. IV.

De tributo, quod dicitur Siſſa.

1 TRibutum nuncupatum *Siſſa* eſt: *Rerum venalium extraordinaria exactio,* ita Antonius Nebrixenſis. De hoc tributo in communi tractat P. Vazq. *cap.6. §.1. num.* 30. eiuſque iuſtitiam latè propugnat refutans ſententiam Caſtri has exactiones damnantis, ad quem mitto curioſum, vel ſcrupuloſum Lectorem, Rep. *de Regalijs*, etiam de *Siſſa* loquitur, *num.7.* ſed non explicat, quod ius veniat ſub hoc nomine nuncupandum. Loquamur de hac exactione contracta

ad

ad Regnum Peruvicum, vt iacet, & viget. Dicam de occasione introductionis illius.

2 Cum anno 1640. Exc. Dom. Marchio de Mancera, Prorex huius Regni vidisset Portũ Callai omnino indefensum sine fortalitijs, nec mœnijs, de eoque doluisset, vtpote iustè perpendens excellentias illius; est enim distans duas leucas ab Vrbe Limæ, principale Præsidium totiùs Regni, Portus vniversalis, cuius sinum intrat omnis mercatura in Limam, & in totum Regnum vehenda, & vendenda, terminus à quo, & ad quem Classis Peruvicæ, his motus considerationibus, & mœnia construere decernens, novum vectigal excogitavit. An iussio, seu permissio positiva Regis præcesserit, dubito, negantibus multis, nec hoc disputandum traho, cum mei instituti non sit.

3 Imposuit, vt extraherentur duo regales argentei, quarta pars argentei, vulgò *real de à ocho*, ex omnibus, & singulis arietibus, tàm ex illis, qui in macello venduntur, quã ex illis, qui in privatis fundis, vulgò *chacaras*, ab ipsorum Dominis consumuntur: & hoc vectigal non solum ad Curiam Limæ, & ad Portum Callai, sed ad totum Regnum extendi iussit. Et hæc exactio vocatur *Sissa*.

4 Anno 1647. finem, & perfectionem acceperunt mœnia, tributum autem non ita, fortè ex eo, quod pro reparationibus, & varijs sumptibus męnia conservantibus illo opus sit. Est ergo, & viget in viridi observantia. Multisque ab hinc annis hoc tributum locatur, & pro illa partiali exactione, quæ Civitati Limæ correspondet, & competit, conductores solvunt viginti septem mille argenteos, non omnes pro mœnijs,

nijs, quippè ex Regia liberalitate, & largitione xenodochium insigne S. Andreæ vbi pauperes, & amentes curantur percipit 2500. argenteos, & Domus Orphanorum, 3000.

5 Hæc omnia patefacere mei muneris est, & harum, & similium dotationum distinctionem, & separationem facere, ita à Rege iubetur in leg. 17. lib. 9. tit. 17. Novæ Recopil. Indiar. ibi: *El Proveedor tenga cuenta distinta de todo lo que por nuestro mandado se proveyere para cosas particulares, que no tocan à la Averia, y de lo que se prestare de vna cuenta para otra, con la claridad, y razon que conviene, para dàr satisfacion à las partes interessadas.* Idem præcepit Susceptori Generali, *leg.* 8. *lib.* 9. *tit.* 19. *Novæ Recopil. Indiar.* ibi: *El Tenedor de bastimentos ha de tener cuydado de que todos los bastimentos, armas, municiones, que se proveyeren, y compraren de Averia para la Armada, estèn distintos, y separados de los demàs, que por otra qualquiera cuenta recibiere, teniendo libros, cuenta, y razon distinta de lo que entrare, y saliere, para que quando se le pida, la pueda dàr de cada genero de hazienda aparte, &c.* Eadem distinctio, & segregatio iubetur *in leg.* 7. 14. & 21. *lib.* 9. *tit.* 37. *Nov. Recop. Indiar.*

6 Mihi ergo Præfecto Annonæ incumbit onus subministrandi Proregibus individualem, & perfectam notitiam omnis, & cuiusvis provisionis meo iussu factæ, & quantitatis pecuniæ ad eas necessariæ, & etiam rami, seu tributi, ad quod vnaquæque provisio, seu sumptus provisionum spectat. Est expressa de Præfecto Hispalis *lex* 5. *lib.* 9. *tit.* 17. *Novæ Recopil. Ind.* ibi: *Mandamos, que el Proveedor de la Armada dè cuen-*

ta de las provisiones que huviere de hazer, al Presidente, y Casa de la Contratacion (Prorex Limæ, in hoc puncto, Præsidi Domus cõmercij Hispalensis correspondet, vt expresse habetur in diplomate, seu titulo meiOfficij) *para que le separen el dinero necessario, en que podrà el Proveedor librar, en la forma que se acostumbra; y no serà necessario para pagar las libranças bolver las partes à pedirlo en la Casa.*

7 Ad hoc onus spectat honos meo muneri concessus à Rege iubente Præfectum Annonæ interesse omnibus belli convocationibus, vulgò *juntas de la guerra*, ibi: 2° *que los que assi os sucedieren en la propriedad del oficio, se puedan hallar en las Juntas de guerra, que hiziere el dicho mi Virrey, donde se trataren materias de Proveeduria, que se huvieren de executar por vuestra mano.* Iustè, & rationabiliter; vt posSit nempè certiores facere Proregem, ministrosque illuc intervenientes; tum de quantitate pecuniarum necessaria cuilibet provisioni; tum de ramo Regiæ Gazæ, ad quem vnaquæque provisio pertinet: *Tractent Fabrilia Fabri.* Præfectus Annonæ debet tractare, & certiorare de origine, & statu vectigalium pro provisionibus impositorum, quod vectigal cui provisioni? De quo tributo, ClasSi; de quo, remigibus; de quo, portui providendum est. Aliquoties clamavi. Nil mirum: mei muneris est, videatur D. Larrea *alleg.* 19. *num.* 13. Nec clamare desinam; à meà enim obligatione non possum cadere. Has separatas, & distinctas dotationes Superiores mei solent confundere. Oriuntur ex hac confusione, & commixtione multa inconvenientia. Non miror. Illis advenis notitia individualis solet

solet deficere. Ideo eam typis do. Iam nō deficiet. Omnia in suis locis ponenda spero.

8 Cum ergo hoc tributum *Sissa* (vt ad propositum redeamus, ex quo mei muneris obligatio aliquantisper me divertit) fuerit inventum pro muris conficiendis, etiam pro reficiendis introductum necesse est intelligi, cum conservatio sit continuata productio. Extenditur etiam ad Remiges, & in insulam damnatos; cùm enim ibi continuo laborent pro muris eruentes, & dolantes rupes ad reparationē murorum, debent hac collectà gaudere, & ex ipsa debet Annona, seu victus præparari, cum sit dignus operarius mercede sua.

9 Extenditur etiam hæc collecta murorum ad ipsos defendendos; nihil enim profuisset ipsos confici, & refici, si indefensi mansissent. Maneat ergo clarum ex hac collectà *Sisa* debere deduci omnes sumptus, qui fiunt pro reparatione, & defensione mœniorum, & pro victu relegatorum in insulam pro muris laborantium. Hanc provisionem pro muris voco Annonam tertiam mei muneris; & huic tertiæ mœniorum Annonæ tertium vectigal, *Sissa*, correspondere dixi.

10 Hic placet apponere praxim quoad hæc exequenda hucvsque servatam, quà inexpertis, & futuris patebit iter. Proregem consulit in scriptis Præfectus Annonæ circa quantitatem pecuniarum necessariam pro qualibet ex tribus Annonis providendis; cum enim habeat munus providendi, obligationem etiam habet prævidendi, & ratione excercitij continui taxatos, & in mente perpensos pro qualibet provisione sumptus habet. Huic Prefecti consultarioni respon-

pondens Prorex iubet tātundem pecuniarum apud Quæstorem militarē, *Pagador*, deponi, ad hoc vt mandata solvendi, vulgò *libramientos*, à Præfecto Annonę ordinata, & subscripta executioni mandentur.

11 Vt autem hæ tres dotationes pro his tribus Annonis firmius stabilitæ maneant, de infirmitate ipsarum possibili (& forte aliquando experta) quæstionem brevem tangam. Vtrum collecta ex tributo deducta posit applicari ad sumptum diversum ab eo, pro quo tributum impositum fuit?

12 Respondeo cum distinctione. Vel causa, ob quam collecta fuit imposita, cessat, vel durat? Si causa cessat, res videtur facilis, sed ab illa me abstineo; non enim est mei propositi, nec professionis illam resolvere, immò nec de ea inquirere. Qui voluerit, adeat Valenç. Velazq. *consil.* 99. *num.* 46. Solorçan, *de gubernat. Indiar. tom.* 2. *cap.* 26. *num.* 16. Avend. Cabrer. Marquez *de gubern. Christian. lib.* 1. *cap.* 23. §. 1. Balmased. *de collect. quæst.* 2. *num.* 16. Vazq. *de restit. cap.* 6. §. 3. *num.* 63. & alios ab istis citatos. Qui etiam curiose tractant: An possit Rex præscribere præsertim, Vazq. vbi supr. *dub.* 5, & Medin. *de restit. quæst.* 14.

13 Si autem causa, ob quam collecta fuit imposita, duret, dicendum est neutiquam posse ad alios sumptus applicari, quantumvis iustos. Probatur primò, quia ita expresse est decisum *in leg.* 17. *lib.* 9. *tit.* 17. *Nov. Recopil. Indiar. leg.* 8. *lib.* 9. *tit.* 19. *leg.* 7. 14. & 21. *lib.* 9. *tit.* 37. *Novæ Recop. Indiar.* in quibus omnes Ministri diversa portoria, seu tributa contrectantes separatas rationes vniuscuiusque portorij iubentur

tur habere. Ad quid hæc separatio, & distinctio tributorum, si licitè possent commisceri? Ergo impositum pro aliquo sumptu non potest ad alium applicari.

14 Vrgetur probatio ex eisdem legibus prævenientibus, quod si de facto commixtio tributorum fiat, vel si vnum tributum mutuet alteri tributo aliquam quantitatem ratione vrgentis necessitatis, teneatur Portorium mutuò accipiens quantociùs alteri Portorio mutuanti solvere pecuniam sibi creditam, vel mutuatam, vt vtriusque ratio maneat impermixta: ergo, &c.

15 Probatur secundo ex Escalon. *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 11. ibi: *Cada estacion, ò miembro de la Caxa, tiene su particular, y distinta administracion, y cuenta, y està destinado à diversas pagas, y consignaciones dispuestas por su Magestad: Y aunque de tòdas es vnico dueño, y parece que vnas pudieran suplir por otras en las necessidades ocurrentes, està prohibido que se haga*, & citat Regias Schedulas pro hoc datas, primam *Matriti anno* 1588. *secundam Matriti die* 16. *Decembris an.* 1628. Aliam confirmatoriam cuiusdam sententiæ datam die 2. *Martij an.* 1608. & subnectit hęc verba: *Ni se hagan estos rescuentros.* Affert etiam capitulum epistolæ Regiæ ad Peruvium missæ dat. die 26. *Ianuarij* 1563. Et ratio redditur, ibi: *Porque cada qual retenga estrechamente su cargo, y data; y se eviten confusiones, y rescuentros en las cuentas de cada genero.*

16 Probatur tertio, ex iure Romanorum, *in leg.* 3. *Cod. de his, quæ ex public. coll. illat. sunt lib.* 10. ibi: *Sciant Iudices nihil sibi ex privatæ rei canone, vel ex eo, quod ex eisdem titulis exegerint, ad necessitates alias*

alias transferre licere, nisi maluerint gravissima severitate suam licentiam coerceri: ergo,&c.

17 Prob. 4. ex clausula testamenti Regis Philippi Quarti transcripta à Balmased. num. 10. ibi: *Iten, mando à mis Sucessores con el mayor afecto, y aprieto que puedo, quiten los tributos que Yo he puesto, si yo no lo pudiere hazer, dando lugar à ello las necessidades publicas. Y que estos subsidios, y rentas del Patrimonio, no gasten, ni consuman en mercedes, ni en rentas voluntarias, ni vn solo real, que no se puede, ni se debe, por ser sangre de tales Vassallos, que solo la defensa, y causa de la Religion puede justificar la incomodidad que en esta parte se les sigue.*

18 Ex quà sic. Ergo tributa in tantum sunt iusta, in quantum propter iustam causam fuerunt imposita: ergo si causæ iustificanti exactionem, seu tributum non satisfiat, deficit iustitia exactionis, seu tributi. Sed deficiente iustitia, nec Rex petere potest, nec Vassalli licitè præstare coguntur: ergo tributa imposita pro Annonis non debet in liberalitates evanescere, quin sequantur hæc omnia: tributum iustum in iniustum transire, Regem non posse exigere, Vassallos non posse ad præstandum licitè cogi.

19 Adeò verum, & firmum est hoc, vt aliqui iudicent esse hoc punctum restitutione dignũ. Et ratio illorum (vt advertit Vazq. *de restit. cap. 6. §.3. num. 53.*) hæc est: quia divitias ex tributo congestas non percipit Princeps sibi, sed erogandas in illas causas, propter quas tributum fuit impositum: ergo si aliter faciat, iustitiam transgreditur, sed transgressio huius pecuniariẹ iustitiẹ est punctum restitutione dignum: ergo,&c.

20 Præsertim in nostra hypothesi de Annonis (vt ad nostrum munus doctrinam generalem adaptemus.) Probo sic, esse punctum restitutionis. Pecuniæ, quæ ex his tributis deducuntur, destinatæ sunt ad solvendum venditoribus pretium trium Annonarum, quas Præfectus Annonæ nomine, & authoritate Regis emit, vt tribus Annonis iuxta munus suum provideat. Hi venditores habent ius ad pretium mercium suarum ipsis solvendum, habent ius, & iustitiam ad ne illis nocumentū fiat, Si pecuniæ quas tributa fructificāt in alios sumptus cōvertātur, notorium nocumentū & fraus venditoribus fit. Modò sic argumentor. Id quod cedit in damnum, & fraudem illorum, qui habent ius ad hoc, vt illis solvatur, & damnum, & fraus non inferatur, est dignum restitutione: sed applicatio tributorum ad alios sumptus cedit in damnum, & fraudem venditorum, qui ratione venditionis habent ius ad pretium, & ad non damnum: ergo huiusmodi applicatio est punctum restitutione dignum. Isernia ad *dict. leg. in verbo Vectigalia*, hanc diversam applicationem vocat *abusum*.

21 Ex sententia P. Vazquez *loco citat.* Si hoc fiat, & tributa in alios sumptus, quanquam iustos, convertantur, solvens, seu solvi iubens tenetur satisfacere damnis supervenientibus ex non soluto sumptu proprio illius collectæ. Et ratio, quà tenetur, est, ex non servatà iustitià.

22 Oppones legem *vnicam, Cod. de expensis ludorum, lib.* 11. Vbi pecunia destinata ad spectacula, in refectionem murorum à Præside Provinciæ laudabiliter potuit converti: ergo similiter à Pro-

re-

rege pecunia destinata ad Annonas. Ita argumentatur Delbene *dub.*3. *ad obiectiones*, *num.*2.

23 Respondeo cum Luca de Penna *in dict. leg.* assignando differentiam inter casum, quo prima causa, ob quam fuit introducta collecta adeo iusta fuit, vt sit iustior aliâ superveniente quantumvis iustâ, & casum, quò causa propter quam fuit introducta, non fuisset iusta, aut saltim superveniens sit iustior. In primo casu, existente, scilicet, & instaute iustiori illa prima causa, ob quam collecta fuit imposita, quanquam causa de novo superveniens iusta censeatur, & sit, non debet collecta imposita ob primam, durante primà, in secundam converti, quia causa iustior est in possessione, est prima, est causa collectæ, est tandem iustior: ergo præferenda. In secundo autem casu, potest cōverti propter eamdem rationem, maiorem, scilicet, necessitatem, influxum, & efficaciam, quam causa iustior superveniens habet, quibus primam causam, etsi iustam excellit.

24 Ex quo apparet notorium discrimen inter hypothesim dictæ legis vnicæ, & casum nostræ Annonæ. In hypothesi legis prima causa collectæ non solum non erat notoriè iustior secundà, sed nec positivè erat iusta, & in latissimo sensu pro iusta habebatur (erat quippè lætitia populi in ludis, & spectaculis) secunda autem superveniens non solum erat indifferens, sed positivè iusta, & iustissima, & vrgens (erat quippè tutela Civitatis, & murorum reparatio) ibi: *Ita enim, & tutelæ Civitatis instructæ, & murorum præsidio providebitur, & instaurandi agonis voluptas* (*confirmatis his, quæ ad securitatis cautionem spe-*

ctant) insecuti temporis circuitione repræsentabitur. Ideo facili negotio potuit collecta pro prima causa indifferenti converti in secundam iustissimam.

25 E contrà in nostro casu. Causa enim prima, propter quam hæc collecta fuit imposita, fuit vt solverentur species Annonariæ, quæ pro alimento militũ emuntur. Cumque hæc causa adeo sit iusta, & impossibile videatur, vel ad minus difficile, quod alia superveniens evadat iustior, immò nec æqualiter iusta, hinc est, quod hæc collecta pro Annona non facili negotio possit, nec debeat ad aliud applicari.

26 Aliud discrimen inter casum legis, & nostrum. In casu legis potuit illa prima causa pro illo anno cessare, vt ex ipsis verbis apparet, & de facto cessavit; attamen Annona quotidiana, mercesque pro Annona emptæ nullo modo cessant: ergo collecta imposita pro Annona non potest ad alios vsus applicari, nec in aliam rem converti.

27 Et certè, ad hoc vt probaremus esse licitam facili negocio hanc commutationẽ, seu hunc trãsitum applicationis de causa indifferenti, immò & iusta, ad iustiorem, non indigeo Romanorum exemplo adducto in *dict. leg. vnica*. Fortius exemplar possum adducere ex eadem Limæ Vrbe. Sunt in ea certi reditus annui destinati solemnitati maximæ Sanctissimi Corporis Christi. Fiunt in ea sumptus magni. Præparatur in Atrio Ecclesiæ Cathedralis theatrum maximum summè, & sumptuosissimè ornatum, vbi Histriones agunt comędias, vel actus sacratos, fiunt denique ludi ignei, & alij, in quibus sumptus sunt magni. Ecce causam non solùm indifferentem pro can-

illis reditibus eò applicandis (ſicut erant ludi Romani) ſed iuſtam, & ſacratam. Et tamen in anno 1688. poſtquam illa Civitas terræmotibus in ſolitis fuit conquaſſata, & ferè tota diruta, reditus illi facili negotio commutati fuerunt, & appliciti ad reædificationem domorum Conſiſtorij Civitatis; tranſitus fuit factus à ſumptu ſacro ad civilem, eo ſolum motivo accedente, quod eſſet cauſa vrgentior, quod non admittebat dilationem, quam admittebant ludi quamtumvis ſacri. Applica ad Annonam, quæ moram non patitur.

Patefactis tribus dotationibus trium Annonarum, quæ Pręfecto Annonæ incumbunt, tranſeamus ad aliquas quæſtiones ad hoc munus ſpectãtes, vt earum reſolutionibus illud iuridicè, & moraliter dilucidemus.

CAP. II.

De Denominatione contractvvm Præfecti.

Quæſtio. *An ſit verè, & propriè emptio, & venditio, illa quæ contrahitur inter Præfectum Annonæ, & Dominos mercium, quas pro Annonis Præfectus ſumit?*

1 Negativè reſolvenda videtur hanc ſcilicet non eſſe, nec poſſe intelligi verum contractum emptionis, & venditionis. Probatur: Ad veram emptionem, & venditionem tria eſſentialiter requiruntur modo à iuribus ſtatuto, *conſenſus*, *merx*, *& pretium*. Neutrum ex his concurrit modo à iuribus ſtatuto in contractu inter Præfectum, & Dominos: ergo non eſt emptio, & venditio.

Ma-

2 Maior est certa in omni iure; eam ideo non probo sed exorno. Primò. Requiritur consensus tanquam perfectio, & formalitas ipsius; est enim emptio, & venditio contractus, qui ex consensu perficitur, §. *In principio instit. de obligationibus quæ ex consensu, leg. 1. ff. de obligat. & action. leg. 1. §. vltim. de contrah. emption.* Adeò vt si consensus, vel in aliquo contrahentium deficiat, non possit emptio celebrari, *leg. Cum in corpus, ff. de adquir. rer. domin.*

3 Secundò. Requiritur merx, & mercis traditio, §. *Cum autem*, 3. *inst. de empt. & vendit.* Requiritur traditio, vt signum animi volentis rem cum suo dominio in emptorem transferre, & quidem naturali æquitati conveniens, vt rata habeatur emptio, *vt in* §. *Per traditionem instit. de rer. divis.* adeò vt traditione, tanquam sine dominij venditoris, & principio dominij in emptorem translati, talis contractus perficiatur, *dict.* §. *Per tradition.* nec emptor sit, nec intelligatur Dominus, quin traditio intercedat, *leg.* 46. *ff. de actionibus empti. leg. Si traditio*, 4. *leg. Si pater*, 8. *Cod. eodem*, *leg. Qui tibi hæreditatem*, 6. *Cod. de hæred. vend.* §. *Cum autem instit. de empt. & vendit. in vers. Vtique tamen.*

4 Tertiò. Requiritur conventio de pretio inter vtrumque, ita prædictæ leges: & quod pretium apponatur, & quidem certum, & in numerata pecunia, §. 2. *inst. de empt. & vend. &* §. 1. ibi: *Pretium autem constitui oportet, nam nulla emptio sine pretio esse potest.*

5 Nunc ad minorem syllogismi: nullam, scilicet, ex his circunstantijs concurrere in contractu Præfecti Annonæ, saltim modo à iure præscripto.

Et

Et quidem primo consensum plerumque deficere, probatur; quia sæpè omnes merces extrahuntur à Præfecto Annonæ sine consensu dominorum, eo quod vendere nolunt; aliquando quia eis opus habent; sæpè sæpius, quia ferè omnes malunt vendere privatis, quam Regi, seu Præfecto nomen Regis gerenti, ob dilationē solutionis (vt postea dicam) ergo consensus deficit, tàm ex parte Præfecti, qui extorquet, quàm ex parte venditoris, qui renuit, sed sine mutuo consensu non datur emptio, & venditio: ergo, &c.

6 Confirmatur: nam qui cogitur, nullam habet voluntatem, *leg. Velle*, 4. *ff. de reg. iur. cap.* 3. §. *fin. de bapt. cap. Perlatum de his, qui vi, aut metu, leg.* 3. *tit.* 5. *part.* 5. atqui Domini mercium à Præfecto Annonæ coguntur: ergo voluntatem non habent: ergo nec consensum: ergo nec vendunt.

7 Probatur secundo deficere requisitum mercis modo à iure præscripto. Hic modus consistit in eo, quod merces à venditore emptori tradatur, vt supra diximus: sed plerumque merces à Dominis non traduntur Præfecto, sed à Præfecto auferuntur, & extorquentur: ergo non intervenit traditio: ergo nec emptio.

8 Probatur tertio, claudicare hunc contractum, & deviare à ratione emptionis, & venditionis ratione pretij. Primò. Secundum iura vterque cōtrahens debet convenire de pretio ante traditionem: hic accidit econtrà; primò Præfectus merces sumit; & postea de pretio paciscitur.

9 Secundò. Secundum iura pretium debet apponi, vt supra diximus: sed Præfectus, quando merces aufert, pretium

non

non apponit, & quando apponit, sæpè apponit contrà, vel citrà voluntatem Domini, vt mox dicam: ergo, &c.

10 Tertio, si hic actus posset dici emptio, & venditio, Præfectus non posset disponere de tali re ante solutionem pretij cum ante solutionem non adquirantur res venditæ, §. *Venditæ*, 41. *instit. de rer. divis. leg. Quod vendidi*, 19. *ff. de contrah. empt. leg. Procuratoris*, §. *Planè, de tribut.* ibi: *Venditæ quoque res, & traditæ non aliter emptori adquiruntur, quam si is venditori pretium solverit*: Atqui Præfectus, antequam pretium solvatur, de mercibus disponit, & (quod plus est) antequam de pretio conveniat: ergo hic actus nequit esse, nec dici contractus emptionis, & venditionis.

11 His tamen non obstantibus, pro affirmativa tenendum est esse verum, & realem contractum emptionis, & venditionis actum celebratum inter Præfectum, & Dominum mercium. Probatur radicaliter, ex eo quod illi conveniat recta definitio emptionis, & venditionis. Plures video huius contractus definitiones traditas, tàm à Legistis, quàm à Theologis; quæ tamen mihi plus arridet, & plus huic contractui Prefecti aptari potest, est, quam tradit Pichardus *in rubrica de empt. num.* 14. plures pro ea citans; nempè quod emptio, & venditio sit: *Contractus iuris gentium, bonæ fidei; vltro citroque obligatorius, qui consensu, re, & pretio perficitur*, quæ confirmatur *ex leg.* 1. *tit.* 5. *part.* 5. ibi: *Vendita es vna manera de pleyto, que vsan los hombres entre sì, è fazese con consentimiento de las partes, por precio cierto, en que se avienen el comprador, y el vendedor.* Si ergo hæc requisita,

ſita, & omnia verba diffinitionis contractui Præfecti conveniant, emptio, & venditio erit. Quod omnia conveniant ex ſolutione argumentorum patebit.

12 Non obſtat primum de coactione, & defectu conſenſus. Fateor plerumque aliquam dari coactionem; nego tamen defectum omnis conſenſus. Non requiritur ad emptionem, & venditionem conſenſus omninò liber ab omni coactione, ſed conſenſus, de quo verificetur eſſe talem. Præfectus plerumque extrahit merces (fateor) ſed dominus mercis poſitivo cōſenſu vult mercem non perdere, ex hinc, tranſit ad paciſcēdum de pretio, ne merces pareat. Ecce poſitivus conſenſus ſufficiens ad verificationem definitionis, & ad hoc, vt emptio, & venditio eſſe poſsit, & ne deſinat eſſe talis ob defectum conſenſus.

13 Probatur ex *cap.* 1. 15. *quæſt.* 1. vbi quæritur: An peccatum, quod quis per metum facit dicatur eſſe peccatum volentis, vel nolentis? Et reſpondetur, quod volentis; quia licet quis directè nolit ipſum peccatum, ad quod compellitur: indirectè tamen vult illud per aliud, quod habere non poteſt ſine illo peccato, & ad hoc probandum inducit exemplum de peierante. Accipe pulchra capitis verba: *Quæritur an poſsit dici peccatum nolentis, quod facere compellimur, nam & hoc contra voluntatem facere dici ſolet: ſed vtique vult, propter quod facit: tanquam ſi peierare nolit, quod tamen facit cum vult vivere, ſi ſcilicet quiſquam, niſi fecerit, mortem minetur. Vult ergo facere, quia vult vivere :::::: Omnes quippè homines, qui ſcientes faciunt, quod non licet, vellent licere.* Et tandem concludit: *Non ſunt peccata nolentium niſi*

nisi nescientium, quæ discernuntur à peccatis volentium. Ergo similiter licet venditor cogatur à Præfecto, venditio volentis censebitur, quia est volentis ille actus, ex quo venditio sequitur, nempè voluntas nõ perdendi merces. *Vult, propter quod facit*: vult ergo vendere, quia vult non perdere: non est ergo hęc venditio nolentis.

14 Explicatur huius ratio, quia quamvis coacta sit voluntas, tamen est voluntas iuxta illud Poetæ: *Sicque volens factum, quod nollem velle coactus*: & probatur ex *leg. Si mulieri*, 21. §. *Si metu, ff. quod metus causa*, ibi: *Si metu coactus adij hæreditatem, puto me hæredem effici; quia quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, & ex leg. Si patre cogente*, 22. *ff. de ritu nupt.* ibi: *Si patre cogente ducit vxorem, quam non duceret, si sui arbitrij esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur*: ergo similiter, & probari etiam posset, *ex cap. Displicet*, 23. *quæst.* 4. *cap. Vide*, 23. *quæst.* 6. *cap. Consulvit, dist.* 74. Dicta sufficiant.

15 Præterquam, quod aliquando voluntas suppletur à lege, vt postea in alia quæstione dicam: ergo ex hoc capite non oritur impedimentum sufficiens, quominus actus Præfecti sit emptio, & venditio.

16 Non obstat secundum de defectu mercis, seu traditionis illius. Respondeo enim negando traditionem requiri ad substantiam, valorem, & perfectionem emptionis. Solum requiruntur merx, contrahentes, & eorum conventio de pretio: quibus positis statim perficitur emptio absque traditione, §. *Cum autem instit. de empt. & vendit.* ibi: *Tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit.*

Quod

17 Quod autem traditio non requiratur fieri per manus venditoris, exprefsè probatur. Si enim emam rem mihi commodatam, depoſitam, aut locatam, vera emptio contrahitur, & tamen traditio non intervenit formaliter ratione emptionis, cum antecedenter res vẽdita in mea manu ſit: ergo in noſtro caſu nihil oberit, quod venditor Præfecto rem non tradat, ſed Præfectus manu propria eam antecedenter ſumpſerit; quomodocunque enim in manu emptoris inveniatur, ſufficit, vt ex capite traditionis perficiatur contractus, §. *Interdum inſtit. de rer. diviſ.*

18 Ad aliquos textus, qui in contrarium poſſunt adduci, facilis eſt reſponſio, diſtinguendo inter perfectionem contractus, & impletionem illius. Perfectio tangit eſſentiam, impletio ad effectum ſpectat. Statim, ac de pretio conveniunt perficitur emptio, quando autem merces traditur, & pretium ſolvitur, tunc completur.

19 Et quod eſſentia emptionis detur in inſtanti conventionis pretij ante traditionem, convencitur; quia ex illo inſtanti actiones empti, & venditi vtrique contra vtrunque incipiunt cõpetere, adeo vt ſi res non tradatur, emptor ex vendito habet actionem contra venditorem, vt eam tradat, & ſi emptor non vult pretium ſolvere, venditor habet actionem ex empto, vt ſolvat. Si ante traditionem datur orta actio ex vendito: ergo ante traditionem datur venditio; non enim poſſet produxiſſe actiones venditio, quę nondum eſt, cum non entis nullæ ſint qualitates, nec effectus.

20 Et ex eo quod emptio, & venditio con-

tracta sit, simullatque de pretio conveniunt; periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, similiter, & incrementum, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit, sic expresse *dict.* §. *Cum autem*, 3. *instit. de empt. & vend. leg.* 23. & 27. *tit.* 5. *part.* 5. *leg. Mora, ff. de reg. iur.* Et emptor tenetur ad interesse ex mora (vt postea dicemus) vide Pichard. *supr. dict.* §. *Latè*, hoc tractantem.

21 Traditio rei, & numeratio pretij respiciunt effectum, exitum, & complementum contractus non substantiam, vel essentiam. Dicta breviter claudo. Causa efficiens huius contractus emptionis est mutuus contrahentium consensus, *leg.* 1. *in fin. ff. de contrah. emption.* causa materialis, ipsum pretium, & merx, seu res, quæ venditur, *l. Ex empt. in princ. de act. empt.* effectus verò est parere obligationem reciprocam ad tradendum rem venditam, & pretium numerandum. Traditio rei, & numeratio pretij, complementum contractus.

22 Nec obstat tertio de defectu pretij, seu numerationis illius, quia numeratio pretij non est necessaria ad essentiam emptionis. Conventio de pretio est necessaria, numeratio non æquè, §. *In principio instit. de empt. & vendit.* ibi: *Emptio, & venditio contrahitur simulatque de pretio convenerint quamvis nondum pretium memoratum sit, leg.* 1. §. *fin. leg.* 2. §. *Sine pretio, de contrab. empt.* §. *Perficiuntur inst. de donat. leg.* 1. *de rerum permut.* Donellus *lib.* 13. *commentar. capit.* 1. & 4. Duazenus *ad titul. de contrab. empt. cap.* 2. Cujac. *lib.* 23. *observat. cap.* 15. Vsualdus ad Donellum *lib.* 12. *commentar. cap.* 10. *litt. E.* qui contra Harmanopolum *lib.* 3. *promptuar.*

tit. 3. invehitur afferentem emptionem contrahi quando res traditur, & pretium solvitur.

23 Ad probationes pro tertia parte quæ hanc emptionem labefactant. Respondeo. Non esse essētiale emptionis, quod pretium taxetur ante rei traditionem, sed accidentale: ergo potest hic ordo inverti, quin deficiat contractus. Hic casus emptionum quæ à Præfecto Annonæ fiunt est à regulà, & ordine communi singulariter exceptus propter iustas causas, vnde gaudet illà Regalia, seu privilegio sumendi merces ante conventionem de pretio. Causæ autem iustæ ad hanc exceptionem sunt, quia aliter non posset subveniri Annonæ, nec calliditati vendentium; ex eo enim, quod recusent Præfecto vendere (fortè ob dilationem solutionis, vt dixi) si de pretio tractarent ante rei traditionem, adeò summum vltra numeratum peterent (compensare volentes dilationem solutionis cum excessu pretij) vt emptio nō perficeretur, nec merces traderent. Ex quo sequeretur, vt Annona Classiaria, & victus militum necessarijs careret. Si enim Præfectus deberet pacisci de pretio ante extractionem mercis, cum pretium prætensum à Dominis vēdentibus sit plerumque excessivum, vnum ex tribus inconveniens necesse esset incurri, vel solvere integrum pretium prætensum (quod esset contra Regiam Gazam cum sit pretium excessivum) vel solvere minus pretium, quam in quo convenerant (quæ fraus putaretur, & esset) vel merces violenter extorquere post non conventionem, seu dissensum in pretio (& tunc omnibus iniusta videretur extractio.)

24 Nec hoc semper fit;

fit; plerumque enim inter Præfectum Annonæ, & Dominos mercium cõventio de pretio fit ante mercium deductionem, quando scilicet non intervenit hæc calliditas, & excessiva petitio dominorum, & multoties ipsi Domini Præfectum adeunt, & solicitant, vt ab ipsis emat: quæ omnia convincunt extractionem mercium ante pretij conventionem non esse fractionem essentiæ emptionis, sed privilegium, & Regaliam Præfecti, & exceptionem accidentalem à regulà observatà in emptionibus, ad subveniendum calliditati vendentium, cui aliter subveniri non potest.

25 Nec essentiæ emptionis obest intervallum inter sumptionem mercis, quæ præcedit, & pretium, quod sequitur, & quandoque multum differtur, non enim hoc sufficit, vt illa extractio mercis fieri, dicatur sine pretio. Non enim est necessariũ, quod eodem die traditionis mercis constituatur pretium, *leg. Septem*, 12. *Cod. de erog. milit. Ann.* Cum emptio non sit stipulatio, quę responsionem eodem die, vnico actu, & sine intervallo petit vno interrogante, & alio respondente, taliter vt se invicem exaudiant, *leg.* 1. *ff. de verbor. obligat.* stet ergo privilegium, seu Regalia Præfecti extrahendi merces, quibus Annona indiget, ante conventionem pretij, & adeant Domini venditores Præfectum ipso die, vt pretium constituatur: quà providentià notabile intervallum non dabitur, nec requisitis emptionis quoad pretium, & mercem derogabitur.

26 Immò ante conventionem de pretio emptionem à Præfecto sufficienter celebratam fuisse, eo tempore, quo merces ex-

extrahit, astruere auderem: immò & interveni-re certum pretium ante constitutionẽ pretij. Moveor ex decisione, §. *Pretium inst. de empt. & vend.* Vbi quæritur: An si inter aliquos ita convenerit: *quanti ille æstimaverit*. Stet contractus emptionis? Et pretium in alterius arbitrium conferri queat? Et respondet affirmativè supposita ambiguitate veterum, & ratio est, quia pretium ab vno æstimandum reputari debet certum, & non incertum. Hoc modo Præfectus emit: *quanti taxatio iuridica æstimaverit*, vel æconomica Civitatis. Res enim vendibiles ferè omnes, quibus Annona eget pretium taxatum habent, vel à lege, vel ab æstimatione hominum; cumque Præfectus non possit excedere hanc taxationem, pretium non debet reputari incertum, sed certum, cumque pretium taxatum indivisibile nominetur, non solum certum, sed indivisibile intelligi debet pretium à Præfecto oblatum. Cui consonat *lex 9. tit. 5. p. 5.*

CAP. III.

De Gabellis, et alijs Portorijs propter venditionem debitis.

Quæstio. *An debeatur gabella ex rebus, quæ ad militum sustentationem à Præfecto emuntur?*

1 SVpposito ex immediatè dictis contractum initum inter Præfectum, & dominum mercium esse contractum veræ emptionis, & venditionis, inquirendum venit: An ex tali venditione debeat solvi gabella, quæ ex omnibus venditionibus solvitur. Hanc quæstionem in terminis tractat Larrea *alleg.* 54. ad quem

quem poteram Lectorem remittere. Sed cum hoc punctum passim Præfecturæ necessarium sit, ad manus ponam breviter, quod certum, & tenendum iudicaverim.

2 Et quidem ex tali venditione gabellam non deberi probatur primò ex textu *in leg. Locatio*, 9. §. *Res exercitui*, *ff. de public. & vectig.* ibi: *Res exercitui paratas præstationi vectigalium subijci non placuit.* Cui consonat *lex Publicanus*, 4. §. *De rebus*, 1. *eodem titul.* ex quibus omnes deducunt gabellam non deberi de rebus ad exercitum paratis: ergo nec de rebus à Præfecto emptis, cum ad exercitum Regię Classis pro militum victu parentur.

3 Secundò probatur *ex leg.* 37. *lib.* 9. *titul.* 18. *Nov. Recop. Castell.* vbi ex rebus, quæ venduntur laboribus Regiorum operum Rex expresè iubet gabellam non solvi, dum tamen emens cum iuramento affirmet, & declaret illas merces in Regijs laboribus, seu operibus esse consumendas, vel cõsumptas, non tamen in alijs necessitatibus: ergo eodem privilegio gaudere debet Regia militaris Annona: exercitus enim Classiarius est labor operis Regij.

4 Pro contrariâ, quæ scilicet affirmat gabellam deberi, stare videtur *lex* 1. *lib.* 9. *tit.* 18. *Nov. Recopil.* vbi omnes venditores indiscriminatim solvere gabellam debent absque exceptione, *leg.* 1. *tit.* 17. vbi venditores gabellam solvunt, nisi sit expresè privilegiatus: sed Domini qui Regi, aut Præfecto vendunt, non sunt privilegiati: ergo debent solvere gabellam ex venditione cum Rege, seu Præfecto celebratâ.

5 Secundò probatur *ex leg.* 11. *lib.* 9. *titul.* 17. *Nov. Recopil. Indiar.* vbi ex-

expreſsè iubetur omnes venditores mercium pro Claſsiaria Annona emptarum ſolvere gabellam debere, ibi: *Sin admitir novedad en quanto à que los vendedores ſean franqueados de los derechos de lo que vendieren.* Ex quibus omnibus ſatis liquido appareret ex venditionibus mercium pro militum ſuſtentatione gabellam deduci.

6 Pro concordia harum opinionum, & legum debemus conſtituere differentiam inter caſum, quò ad Regem pertineat ſolutio gabellæ, & caſum quò non ad Regem, ſed ad alium contrahentem pertineat. In primo caſu tenenda eſt negativa, hoc eſt. Dicendum eſt gabellam non debere ſolvi. Ratio eſt, quia eſt ridiculum Regem debere ſolvere id, quod Regi ſolvitur, vt advertit Eſcal. *lib. 2. part. 2. cap. 9. num. 7.* ibi: *Porque el Rey no puede ſer tributario de sì miſmo, y ſiempre exceptùa ſu Real Perſona, leg. 3. lib. 9. tit. 18. Novæ Recopil. Caſtell. leg. 4. tit. 17. lib. 9. Recopil. Ind.* Vbi expreſsè iubetur. Inde eſt, quod in hoc caſu non debeatur gabella, & ſic loquuntur textus pro contraria opinione adducti, & vide *leg. Locatio, 9. §. Fiſcus, ff. de publican.*

7 In ſecundo autem caſu, quando, ſcilicet, particularis venditor res pro Annona vendit Præfecto, cum penes venditorem ſtet obligatio ſolvendi gabellam, ex *dict. leg. 1. lib. 9. tit. 17. Novæ Recopil.* & nil beneficij, ſeu commodi accreſcat Regię Gazę ex eo quod venditores, qui Regi vendunt, non ſolvant gabellam, immò potius iurium Regiorum defalcatio accreſcat, quod incrementum, magnum eſt detrimentum, inde eſt quod non liberentur. Et ſic intelli-

telliguntur textus pro affirmativa. Quod adeo verum est, vt nec fundus Fiscalis ea ratione quà Fiscalis sit, posset liberari ab eius solutione, si aliunde privilegium non haberet, ita *dict.* §. *Fiscus*, 8. *leg. Locatio*, 9. *ff. de publicanis.*

8 Quę doctrina non solum in Rege, sed & in alijs privilegiatis locū habet, v. gr. in Clericis, qui sunt immunes à gabella in mercibus proprijs, quas scilicet ipsi Clerici vendunt. Liberi sunt ratione Ecclesiasticæ libertatis, *leg.* 6. *dict. tit.* 18. quæ infringeretur, si subijceretur tributo. Si tamen ipsi Clerici à laico emerint, laici venditores gabellam solvunt, *leg.* 8. *eodem tit.* ita similiter in emptionibus, & venditionibus Regijs dicendum (& quidem breviter) gabella debetur quando Rex emit: non debetur quando Rex vendit. Et ratio vno verbo redditur, quia gabella solvitur à venditore.

9 Quam doctrinam tradit Veytia in sua cynosura en su Norte, *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 21. Vbi ait sic decisum fuisse anno 1564 per quandam executorialem Epistolam à Concilio Gazæ Regiæ expeditam contra Publicanos apprehendentes notabilem numerum laridorum, *tocinos*, quæ asportabantur Regiæ Indiarum Classi, ob non solutam gabellam, quam exigebant, & petebant solvi à Ministro Regis, qui ea emerat. Publicani, vel exactores gabellæ fuerunt incarcerati, & moniti, ne simile attentatum iterum committerent, ex tunc certiores facti de eo, quod merces emptæ à Rege, eorumvè Ministris pro militum alimento nullum ius, seu Portorium tenentur solvere, cuius extat Schedula *lib.* 1. *m. fol.* 43. Refert etiam similem gabellæ exactionem fuisse in-

intentam à Dom. D. Hieronymo Sanvitores à Portilla, Equite S. Iacobi à Consilij Gazę Regiæ Administratore Generali Regiorum iurium, *Almoxarifazgos*, anno 1645. exigente illam gabellam à Ministris Regijs Regi ementibus, & fuisse eodem modo repulsum. Hęc decisio extat, *lib.* 3. *m. fol.* 15. 19.

10 In Regno Peruano ita stabilitum praxi invenitur; aliqua exempla ponam. Ita in Portu Callaensi cum tributo vini, quod nuncupatur, *Mojonazgo*, quod solvitur ex omnibus amphoris vini. Sic in Panama, & tota Provintia *Terræ-Firmæ*, vbi cum pro qualibet amphora vini certum ius solvatur rigorosè, quando vinum ex navigio deducitur, & terram intrat, qua ratione vocatur illud ius *de desembarco, y entrada*; eò tamen ipso, quod asportetur pro Annona Classiaria non solvitur ius, & cessat exactio, & solum requiritur, quod Præfectus Annonæ affirmet pertinere ad Annonam, vel cum aliquo instrumento comprobetur, quod expresè affirmat *dict. lex* 34. *lib.* 9. *tit.* 17. *Nov. Recopil. Indiar.* ibi: *No se paguen, ni puedan llevar ningunos derechos, haziendose las provisiones por nuestra cuenta, ò siendo para mantenimientos de los que estàn en las Indias, con que à buelta de viage los dichos Oficiales embien fee de que se llevaron, y descargaron en las Indias para los efectos referidos. Y si no lo cumplieren nuestros Oficiales dentro de este termino, queden obligados à pagar los derechos de las cosas que se compraron.* Sed non indigemus exemplis. Praxis est generalis: *Rex vendens nunquam solvit gabellam.* Nec de rebus, seu mercibus, quæ Regio nomine asportantur ius vllum sol-

vitur quanquam ius, seu tributum sit locatum à Rege, hac conditione conductores conducunt, vt Rex nunquam solvere possit.

11 Hoc etiam statutum invenio iure Romanorum, *in leg. Si publicanus*, 4. §. *De rebus*, 1. *de public. & vectig.* vbi postquam Iurisconsultus Paulus affirmasset vectigal non deberi de rebus, quas Rectores Provinciæ sui, & suorum causa asportant, hæc verba annectit: *Mittet quemdam empturum qui significet libello manu sua subscripto, eumque ad publicanum mittat, vt si quid aliud, quam quod mandatum est, transferret, id municum sit.* Explicat autem Glossa verbum *Municium, hoc est* (inquit) *ex eo fiet muneris, seu vectigalis præstatio.* Quasi dicat lex, ex eo, quod ad Regem pertinet, tributum non solvitur; ex reliquo debetur.

12 Etiam iure Castellæ in *dict. leg.* 37. quam adduxi pro primà opinione, ita enim ait: *Pero es nuestra merced, que la persona que los comprare faga juramento que son para las Atarazanas, y no para otra persona, ni personas algunas.* Ex quibus satis liquet standum esse veritati Præfecti in casu dubio non solutionis alicuius Portorij, seu iuris Regij. Et si notoria sit asportatio mercium Regiarum (quæ ex apparatu plerumque constat) non est opus declaratione Præfecti, cum notorietas probatione non egeat. *Glossa, quia manifestum in leg. Emptorem*, 12. *Codic. de actionib. empti.*

13 Hinc colliges primò. Vendentes Regi debere solvere gabellam nuncupatam, *Alcavala*, si aliunde non sint privilegiati, & ratio est, quia hoc ius solvi debet à venditoribus, *dict. leg.* 1. Et

in

in his terminis est verior sententia affirmativa necessitatem solvendi imponens venditoribus de rebus, quæ à Præfecto emuntur ad militum sustentationem. Secundò. Si gabella debeatur ratione asportationis de loco in locum, hoc est, *de entrada*, & merces à Præfecto vehantur medijs Cõmissarijs ab eo deputatis ad hoc ministerium, non debetur gabella, nec aliud ius propter rationes supra traditas. In hoc sensu est vera sententia affirmans, de rebus emptis pro Annona, & militum victu ab emptore non deberi gabellam, aliudque excogitabile ius. Tertiò. Si merces pro Annona Regia asportentur de ordine Præfecti non apparatu ordinario, nec medijs Commissarijs à Præfecto ad id deputatis, sed alijs, & hac ratione ortum fuerit dubium inter publicanos, vel exactores, an debeat solvi ius nec ne? Standum est asseverationi Præfecti, vel instrumentis comprobantibus illas merces esse Regias.

14 Quartò. Quando Rex vendit Vassallis, nullo modo gabella debetur, quamvis obligatio illam solvendi sit penes venditorem, & publicanus non potest defalcationem prętendere à Rege propter talem venditionem, *ex dict. leg.* 3. *tit.* 18. *Novæ Recopil. Castell.* ibi: *Y que por ello no nos pongan, ni puedan poner descuento alguno*, & tenet cum alijs Peregr. *de iur. Fisc. lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 24. Quod probatur primò. Ex supradictis, quia esset ridiculum Regem solvere Regi, esse tributarium sui ipsius, &c. Secundò. Quia in generali concessione exigendi vectigalia, aut gabellam, quamvis apponatur solvendam à *quacumque persona*, non videtur includi persona loquentis, *leg.*

Obli-

Obligatione naturali, *ff. de pignoribus*, *leg. Inquisitio*, *Cod. de solut. leg. Emptor*, *Cod. de hæred. vendit.* vbi vendita hæreditate emptor non potest hæreditarias actiones contra venditorem dirigere, quia non intelliguntur contra ipsummet venditorem translatæ. Tertiò. Quia Princeps à se ipso gabellam exigere nequit: ergo neque tale ius in Publicanum transferre, quia nemo potest in alium transferre, quod ipse non habet.

15 Duo contra hæc mihi argumenta occurrunt. Primum *ex leg.* 37. *lib.* 9. *tit.* 18. *Nov. Recop. Castellæ*, in quà iubetur gabellam non solvi ex arboribus quæ venduntur Regi in Navali Hispalensi à quocumque venditore etiam non privilegiato, ibi: *No se pague Alcavala, ni Almoxarifazgo, ni otros derechos algunos de los Pinos, que qualesquier personas vendieren para las nuestras Atarazanas de Sevilla, en qualquier manera*: ergo, &c.

16 Et confirmatur, *ex leg.* 38. *eod. lib. & tit.* vbi Fabriferrarij eximuntur à gabellis, quæ solvi deberent ex operibus ferri, dummodo in servitium castrorum vendant, ibi: *Mandamos, que sean francos, que no paguen Alcavala los Herradores de todo el ferrage que gastaren en los Reales, y con la gente de las Guarniciones, &c.* Ergo vendentes Regi, eximuntur.

17 Secundum argumentum fit, *ex leg.* 5. *tit.* 7. *part.* 5. ibi: *E aun dezimos, que de ninguna de las cosas que traxeren para el Rey, quier para presentarselas, ò de otra guisa, que non debe pagar portazgo de ellas.* Eamdem consequentiam infero: ergo, &c.

18 Ad primum argumentum, & eius confir-

firmationem respondeo cum Larrea *dict. allegat.* 54. *num.* 7. ex eisdem legibus inferendo contrarium, scilicet: debere solvere gabellam omnes illos, qui Regi vendunt, vniversaliter loquendo. Quam vniversalitatem nõ labefactant prædictæ leges, immò potius stabiliunt cum sint exceptiones, & exceptiones firment regulam in contrarium, *leg. Nam quod liquidè, ff. de pœnu legat.* Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *quæst.* 30. *num.* 4. *& consil.* 4. *num.* 23. *& consil.* 148. *num.* 32. Valasc. *consult.* 45. *num.* 1. *ad fin.* Gonç. *reg.* 8. *Chancellar. gloss.* 51. *num.* 2. *& gloss.* 54. *n.* 19. Inferamus ergo à contrario. Ergo si ex specialibus legibus, & Regum nutibus non solvunt gabellam Lignarij in Arsenali Hispalensi, & Fabriferrarij in exercitu: ergo reliqui omnes vendentes Regi solvere illam debent. Argumento ab speciali sumpto, quod validum est, iuxta Menochium, & alios, quos ibi citat Larrea.

19 Confirmatur responsio ex eadem leg. 38. Vbi non eximuntur à prędicta gabella, immò expressè ad eam obligantur omnes illi Artifices, qui faciunt ephippia, fræna, calcaria, & similia, ibi: *Y que esso mismo los Silleros, y Freneros paguen Alcavala de las sillas, frenos, estrivos, y espuelas que vendieren.* Ex quo patet hos Frenarios, & Ephippiarios teneri ad gabellam ex expressa intentione legis: reliquos autem non expressos, & non aliunde exceptos, teneri ratione regulæ generalis, & ratione supradictæ exceptionis regulam in contrarium firmantis.

20 Ex dispositione huius legis infert, & deducit Lassarte *cap.* 20. *numer.* 65. Calcaria fræna, & ephippia non esse armas;

ma; cum arma ſint à gabella immunia, *ex leg.* 40. *eod. lib. & tit.* ibi: *Mandamos, que de las armas ofenſivas, ò defenſivas que ſe vendieren, no ſe pague Alcavala alguna, &c.* Contra huiuſmodi argumentationem irruit Azevedo ad *dict. leg.* 38. Immò potius (ait) debuiſſet inferre: eſſe arma, & armorum communi appellatione contineri, cum lex indigeat illorum expreſsione, & exceptione, vt ex illis gabella ſolvatur. Si enim eſſet in dubium illa non eſſe arma, lex otioſa eſſet, non debuiſſet illa exprimere, nec de eis mentionem facere, cum ratione regulæ generalis debuiſſet ex eis gabella ſolvi, argum. text. *in leg. Quod labeo, 9. ff. de carbon. edicto.* Ex eoque, quod ſpecialiter de illis diſponatur gabellam ſolvi fit argumentum, ideo diſponi, ne caderet ſub diſpoſitionem *leg.* 40. quæ iubet ex armis non ſolvi.

21 Sed pace Azevedi aliâ viâ incedo, contra præfatam argumentationem irruo, & illam conſequentiam infirmo: ergo calcaria, fræna, & ephippia non ſunt arma. Concedo conſequentiam. Non ſunt arma ex illis offenſivis, aut defenſivis, quæ deſiderat, & requirit lex ad hoc, vt ſint immunia à gabella, licet ſint armis annexa, dependentia, vel coadiuvantia, quæ omnia voluit expreſsè prædicta lex excludere à tali privilegio. Sicut & de ipſo ferro, ex quo arma facienda ſunt diſpoſuit gabellam ſolvi, non obſtante, quod ferramenta, ſeu opera ferri perfecta privilegio gaudeant. Accipe verba legis: *Pero que de las coſas de que ſe hazen las dichas armas, no eſtando acabadas en la manera, y perfeccion que ſe ſuele vſar de ellas, y de los aparejos para vſar de ellas, aunque ſean tocantes, ò anexos à las miſmas armas,*

man-

mandamos, que se pague la Alcavala quando se vendieren, ò trocaren. Et quia fortè erat res dubia, vel potuisset esse vtrum essent arma perfecta prædicta calcaria ephippia, fræna, & similia, ideo de eis expresse locuta fuit lex ea excludendo.

22 Ad secundum argumentum facillimo negotio respondeo, eo solum, quod verba legis prosequar: *Fueras ende si ge las vendiere.* Dixerat immediatè non debere gabellam solvi ex rebus, quæ Regi donandæ asportantur: addit immediatè; excipe, si asportantur vendendæ, hoc enim sonant illa verba: *Fueras ende si ge las vendiere.* Quid ergo clarius pro solvenda gabella ex rebus Regi venditis, quam lex iubens non solvendam ex rebus Regi donandis, vel quæ pro donatione Regi facienda asportantur?

23 Notando tamen illa verba dict. leg. 5. *ò de otra guisa*, curiosè quæres: Quæ aliæ res veniunt in illis intelligendæ, ex quibus gabella non sit solvenda, sicut & rerum donatarũ, cum ibi lex vtrasque coæquet? Respondeo in illis verbis venire intelligendas res, quę iam sunt Regis, quarum iam acquisitũ dominium habet, & quæ tanquam Regiæ Regi asportantur, vel iure alicuius collectæ, Portorij, tributi, aut alius tituli onerosi. Quarum mercium, vel tributorum indubitatum est non solvi gabellam, alioquin solveretur gabella gabellę. Iam denique sunt Gaza Regia, quæ gabellam non solvit.

24 Ratio autem, cur ex re quæ Regi donanda asportatur non solvatur gabella, est naturalis; non enim esset rationi consonum compellere donantem ad vlteriorem donationem faciendam nempè

gabellæ pro re quam ipse Regi donat. Immò non esset coactio ad vlteriorem donationem; sed ad rigorosam exactionem in pœnam voluntatis donantis, quod esset rigorosum, irrationale, & ridiculum. Insuper, cum Rex ex tali donatione obligatus maneat ad Antidora, seu recompensationem, irrisorium esset manere obligatum ad gratificationem donanti faciendam, & simul donantem cogere ad gabellę pro donatione solutionem.

25 Cum autem hæc omnia non militent in casibus, in quibus Præfectus nomine Regis emit res Annonæ necessarias, dici debet in illis gabellam deberi, & eos, qui Regi, vel Præfecto vendunt, ad gabellæ solutionem obligari.

26 Opponi potest contra prædicta. Rex noster solvit Portorium, quod nuncupatur, *Averia*, sicut & reliqui Vassalli, *leg. 5. lib. 9. tit. 9. Novæ Recopilat. Indiar.* Veytia *en su Norte, lib. 1. cap. 20. num. 7.* Immò aliquando plus solvit quàm Vassalli, vt diximus in §. de Averia: ergo similiter poterit gabellam, sicut cæteri Vassalli, solvere.

27 Respondeo constituendo discrimen inter vtrumque tributum. Tributum, *Alcavala*, introductum fuit, & solvitur Regi, vt ipse Rex ex eo se ipsum, & suos milites alat. Solvat ergo gabellam, vel non solvat, perinde est, cum idem Rex sit, vel futurus esset solvens, & cui solveretur. Ad quid solveret, si sibi ipsi solveret? Ne ergo fiat hic vanus circulus, fuit benè dispositum ipsum non solvere sibi ipsi.

28 Tributum autem nuncupatum, *Averia*, fuit introductum pro Annona Classiaria, & sumptu, quem ipsa Classis facit.

Et

Et ne tales ſumptus ex Regio patrimonio deducerentur (quod non erat rationi conſonum) introductum fuit (vt diximus) hoc Portorium deducendum ex omni pecunia, & merce, quæ evehuntur, ſeu aſportantur in dicta Claſsi. Et licet Rex poſſet, & potuiſſet ſe ipſum eximere, & non ſolvere ex ſuis Gazis quę ſimiliter aſportantur, tamen volens pijſsimus Princeps æqualitatem Geometricam ſervare, & ſervari cum ipſo, eamdem, quæ ſervanda diſponebatur cum Vaſſallis, noluit ſe eximere, voluit ſe ſubmittere, & tanquam partem illius totius concurrere ad contributionem, quam faciunt reliquæ compartes, quarum intereſt illa theſaurorum aſportatio. Non eſt ergo hæc benignitas, ſeu benigna ſubmiſſio æſtimanda, vt ſolutio tributi, quam Rex facit, ſed bonum, & Regium exemplum iuſtitiæ commutativæ, ſeu voluntaria noſtri Regis contributio ad ſumptus Claſsis. Ex quo apparet notoria differentia inter vtrumque tributum. Adæquata reſponſio. Firma, & probata noſtra aſſertio.

CAP. IV.

De Coactione ad vendendum.

Quæſtio. *An Præfectus poſsit cogere dominos mercium ad vendendum eas pro militum victu?*

1 Dominos invitos cogi ad vendendum, iura regulariter non permittunt, *leg. Invitum,* 11. *leg. Dudum, Cod. de contrahend. emption. leg. Nec emere,* 16. *Cod. de iur. deliber. leg. Invitos, Cod. locati, leg. Nec ab initio, Cod. de nuptijs.* Ex noſtro iure Regio, *leg.* 3. *tit.* 5. *part.* 5.

In nostra vero hypothesi cum emptio, de qua loquimur, sit ad militum victum, Rex noster, eiusque nomine Præfectus, hac Regalia gaudent emendi ab invitis, Covarrub. *lib. 3. var. cap.* 14. *leg.* 1. *Cod. de metallar. lib.* 11. Ratio est, quia cum in sustentatione militum versetur bonum commune, in quo includitur etiam bonum particulare, iuxta Delben. *de comit. d.* 9. *& seqq.* Valenç. Velazq. *consil.* 99. *num.* 5. *& seqq.* & salus populi suprema lex sit Cicero *lib.* 3. *de legib.* inde est, quod ratio dominij liberi, cui aliàs iura summè attendunt omni posibili modo impedientia, quominus veri Domini illi defraudentur absque voluntate, non veniat in præsenti attendenda, vt alibi dixi.

2 Confirmatur hæc ratio: quia si in tali emptione non versaretur causa publica, seu bonum commune, non posset emptio à Rege fieri invito Domino, vt habetur *in lib.* 3. *Regum, cap.* 21. vbi Achab Rex Samariæ voluit emere à Naboth vineam, & quamvis obtulisset, vel vineam meliorem, vel pretium dignum, ibi: *Daboque tibi pro ea vineam meliorem, aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanti digna est.* Non fuit facta emptio desiderata, & ille Rex (alioqui impius) non compulit Dominum renuentem vendere: *Ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Eo quod illam vineam non ad publicam vtilitatem, & bonum commune sed ad delicias particulares quantumvis Regias volebat emere: *Da mihi vineam tuam, vt faciam hortum olerum.*

3 Non loquimur, nec intelligitur hoc dubium venditionis coactę de eo, qui habet merces in publico loco positas ad venden-

dendum eas, cum & hi coacti non videantur, Covarrub. *dict. cap. 14. num. 1.* posſintque à quolibet particulari cogi ad vendendum, ſicut Advocatus, qui ex eo, quod munus advocationis publicæ ſuſcepit, tenetur operas, & patrocinium præſtare ad iuſtitiam in Republicà inveſtigandam, & tuendam *leg. Qui providendum, Cod. de poſt. Gloſſa leg. 1. §. Ait prætor in verbo* Habebunt, *ff. eodem.* Sic caupo, & ſtabularius, qui ſemel id Officium ſuſcepit, cogitur omnes hoſpites recipere, Bart. *in leg. 1. ff. furt. adv. naut. & leg. 1. §. 1. ff. naut. caup. &c. & in leg. 1. §. Cura carnis, ff. de Offic. Præfect.* Alia exempla adducit Decius *ad reg. Invitus, 198. ff. de regul. iur.* quorum aliqua contradicit Covarr. vide eos.

4 Quod autem is, qui omnibus paratus eſt vendere, debeat primum vendere Regi, eſt extra dubium. Et ratio eſt, quia Rex eſt Dominus omnis terræ Vaſſallorum; ideo Vaſſalli fructus, quos venales habent, prius tenentur vendere Regi, quam alijs, propter illud maius ius. Sicut qui locatum fundum habet, ius prælationis habet ad emendum fructus rei à ſe locatæ dummodo ſolvat pretium, quod ab alijs ſolvitur, *leg. 2. num. 7. ff. ſolut. matrim.* Pen. *dict. leg. 1. num. 2.* Bart. *eadem lege,* & plures quos citat Covarrub. *num. 6.* Idem ſtabilitur in emphyteuta, qui ſi vendere voluerit meliorationes rei, tenetur vendere Domino proprietatis, *leg. ult. Cod. de iur. emphyteut.*

5 Igitur quando dicimus Regem, eiuſque nomine Præfectum, poſſe cogere Vaſſallos ad vendendum, intelligendum venit, quanquam merces venundandas non habeat, nec vendere illas

velit; an scilicet, tunc possit illos cogere ad vendendum propter publicam vtilitatem? Intelligendum etiam venit non solum de mercibus, & rebus liberis, sed etiam de rebus Maioratus; potest enim cogere, ad vendendum partem maioratus si publica vtilitas expostulet, sic Molina *disp.* 649. *per totam.*

6 Vt autem hæc coactio licitè infligi possit, supponendum est emptionem debere fieri iusto soluto pretio ad presens, seu ad numeratum, vel pauca interiectà morà (aliter dicendum de emptione sine pretio, *vt in cap. seq.* dicam) Covarrub. Ponte *de potest. Pror. tit.* 2. *num.* 9. Luc. de Pen. *ad dict. leg.* 1. *Cod. de metal. num.* 1. Ad modum, quò Rex David emit aream à Jebusæo, ad erigendum in eà altare Domino, vt sacrificaret in eo: non aliter, scilicet volens ab illo illam emere, nisi iusto pretio interveniente, oblato, & accepto, 2. *Reg. cap.* 24. *vers.* 24. ibi: *Nequaquam vt vis, sed emam pretio à te* :::::: *Emit ergo David aream, & boves argenti siclis quinquaginta, & ædificavit ibi David altare Domino.*

7 Probatur etiam *ex dict. leg.* 1. *de metal.* vbi postquam Imperator necessitatē imposuisset metallarijs Fisco vendendi, addit hæc verba: *A quò competentia ex largitionibus nostris pretia suscipiant.* Quod hodie apud nos versatur cum argento vivo, quod alteri, quam Fisco in Regno Peruano vendere metallarij non possunt, sed tamen iusto soluto pretio.

8 Probatur etiam *ex leg.* 7. *Cod. de erog. milit. Ann.* ibi: *Species restantes non aliter adærentur, nisi vt in foro rerum venalium.* Et ad nostrum propositum maximè attendendum est isti legi; nam (vt ait Lucas

cas de Penna ad eius explanationem) ſtylus Tribunorũ doloſus hic erat. Species Annonariæ deferebantur ad caſtra, & non ſtatim fiebat conventio de pretio, ſed poſt ſeptem dies, in foroque, & fori caſſulis cuſtoditę reponebantur, indeque Tribuni Prætoriani capiebãt illas, minuſque pretium iuſto pro eis ſolvebant. His fraudibus remedium adhibere volens Imperator, ſtatuit, vt non aliter Annona adæraretur, hoc eſt compararetur, aut emeretur, *niſi vt in foro rerum venalium.*

9 Quod tunc ab Imperatore fuit conſtitutum contra Tribunos emptores, hic conſtitui deberet contra venditores, qui pro mercibus, aut ſpeciebus Annonarijs ante pretij conventionem à Præfecto captis vltra numeratum, maius pretium expoſtulant, & reſpuunt ſuas merces. commenſurari pretio rerum venalium in foro. Cumque propoſitum in propoſito, & oppoſitum in oppoſito, vt ait Philoſophus *lib. 2. cap. 2. ad med. tom. 1.* Inde hęc lex mente tenenda eſt ad hoc, vt pretium rerum emptarum pro Annona iuſtum ſit, & non excedat, *vt in foro rerum venalium.* Ad quod facere videtur Caſiod. 9. *variar. epiſt. 5.* ibi: *Ne quis venditione m ſibi impoſitam conqueratur, ſciat libertatem in crimine non requiri; ſed illud boni ingenij magis eſt, ſi non feſtinet excedere. Vendat itaque ſub iuſta ratione, qui diſtrahit: ſi conſentit, operatur laudem ſuam: ſi diſcrepat, noſtrum facit eſſe præconium, quando bonum eſt iubentis, ſi iuſtitia imponatur invitis.* Et *lib. 11. epiſtol. 12. Prædoni ſimilis eſt, qui ſub iniqua cupit voluntate diſtrahere; vtroſque enim conſtat velle dirigere, & conſiderationem iuſtitiæ non habere*, Bart. *ad leg. fin.*

fin. cum concord. ff. ad leg. Iul. de Ann.

10 Rationi consonum est, & prudentiæ, vt pretium præsens coactionem vendentium demulceat, *leg. Si quis sepulchrum*, 12. *de Relig. & sumpt. fun.* Luc. de Pen. *in dict. leg.* 1. *Cod. de metallar. verb. Suscipiant*, tenet, debere venditores pretium accipere, antequam Fisco metalla, seu merces tradant, *ex leg. Venditor*, §. *vltim. ff. de com. prædior.* Hoc tamen est nimium, & rigorosum. Sufficit, si solvatur parvà morà factà. Ita intelliguntur ab ipso, Penna *ad dict. leg.* 7. illa verba: *In foro rerum venalium*, nam sic fit satis iniuriæ coactionis ad vendendum, & iustitia commutativa non læditur.

11 Ad hoc refert idem Penna *ad dict. leg.* 1. *num.* 2. stylum Gallorum in opere salinarum, in quo datur prohibitio vendendi sal alteri, quam Fisco; sicut apud nos prohibitio mercurij, seu argenti vivi, sed pretio iusto, de cuius defectu aliquantulum conqueritur: *Hoc tueri potest Curia Regia in opere salinarum: cogit enim omnes facientes sal in salinis proprijs ipsum sal vendere Fisco; sed bonum foret, quod iustitia pretij melius servaretur.*

12 Pro coronide probatur ex nostro iure *in leg.* 1. *lib.* 9. *tit.* 34. *Nov. Recopil. Castell.* ibi: *El trigo, cevada, y otros bastimentos para la provision de nuestras Armadas, no se haga, sin que primero se pague el justo valor del dicho trigo, cevada, y bastimentos à las personas, à quien se sacare, y tomare de contado, al precio que en la Ciudad, Villa, ò Lugar de donde se sacare, valiere entre los vezinos.* Quid clarius pro nostra conclusione?

13 Si autem Rex non habuerit vnde sumptus

pro Annona faciendos ſolvere poſsit, tunc debet, non iam obligare dominos invitos ad vendendum ipſi, quam obligare Vaſſallos ad emendum res pro Annona neceſſarias, vt in ſequenti quæſtione ad quam ſtatim.

CAP. V.

DE COACTIONE AD EMENDVM.

Quæſtio. *An Vaſſalli cogi poſsint ad emendum ex alijs ſpecies Annonæ neceſſarias pro militum victu, potiùs quam ad vendendum proprias? Et an à Præfecto?*

1 PAradoxa, & metaphyſica potiùs quam ſolida, & practica hæc quæſtio primà fronte iudicabitur; nam plus videtur eſſe, quod Vaſſallus cogatur ad emendum aliena pro Rege, quam ad vendendum propria ſua Regi. Et licet in vtroque caſu vulneretur libertas dominorum contra *legem Invitum, & alias iam relatas*, in obligatione tamen emendi aliena, ad ſubveniendum Regi præter moleſtiam coactionis alia gravior dignoſcitur moleſtia, nempè ſumptus pecuniarij quos facturus eſt ille Vaſſallus emens pro Rege: cumque moleſtia dandi pecunias ſit extra dubium maior, quã moleſtia vendendi merces proprias, intolerabilior videtur eſſe, pluſque in Vaſſallos ſęvire illorum ſanguinẽ in pecunia fundendo: ergo eſt quæſtio paradoxa ſine apparenti ſaltim dubitandi ratione.

2 Et quamvis daremus æquè gravari, ac vulnerari coactum ad vẽdendum, quam coactum ad emendum, non poſſumus negare eſſe inſolitam hanc coactionem ad emendum: primum vul-

neratum vendendi aspicimus in multis casibus iuris, Covarr. *lib.*3. *cap.*14. cum vix detur casus practicus alterius vulnerati, scilicet emendi: ergo est quæstio paradoxa, læsiva, insolita.

3 His tamen non obstantibus. Dicendum est Regem, aut suà Regalià gaudentem posse cōpellere Vassallos, non solum ad vendendum, sed etiam ad emendum. Inmò aliquando tutiùs operari cogentem ad emendum aliena, quam ad vendendum propria. Immò aliquando non satisfacere Regem conscientiæ propriæ, si cogat ad vendendum Regi ipsi; satisfacere autem si coget ad emendum de alijs, vt ipsi Regi subveniant.

4 Tota resolutio pendet ex hoc dilemmate. Vel Rex habet vnde solvat, aut sáltim habiturus est de proximo, id, quod pro militum victu aufert à dominis invitis, vel non habet? In primo casu, nempè si habet, aut de proximo habiturus est, potest cogere Vassallos ad vendendum suas merces Regi. Nec venditioni obstat coactio; sufficienter enim compēsatur coactio pretio congruo præsente, vt dictum est suprà, & probatur *ex leg.* 1. *lib.* 9. *tit.*34. *Nov. Recop. Castell.* Addo pro hoc primo casu, non posse Regem tunc cogere Vassallos ad emēdum aliena, vt Regi subveniant, sed solum posse cogere ad vendendum propria. Quod ex infra dicendis clarius percipietur.

5 In secundo autem casu, quando scilicet Rex non habet, nec speratur de proximo habiturus vnde solvat, tunc non potest cogere Vassallum ad vendendum proprias merces Regi, sed potest, & debet cogere Vassallos ad emendas merces alienas,

vt necessitati Regis subveniant.

6 Hæc bimembris pro secundo casu resolutio probatur hoc fundamenti syllogismo. Id non potest fieri à Rege, ex cuius positione sequitur de facto peccatum, aut sequi potest probabiliter; sed Rex, qui non habens, nec sperans, vnde solvat merces, cogit Vassallum ad vendendum eas, hac coactione peccatum incurrit saltim probabiliter argumento eius, quod de Campsoribus dicitur à Rebello *lib.* 11. *quæst.* 14. *num.* 5. & quod infra dicimus, cum tunc non de plenitudine potestatis, sed tempestatis id facere videatur, Molin. *de primog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 33. Balmased. *de collect. quæst.* 2. *à num.* 7. Et aliunde in coactione ad emendum necessaria Regi pauperi non solum non datur probabilitas peccati in Rege cogente; sed in coactis, si se excusent à tali emptione datur peccatum: ergo, &c.

7 Si hunc syllogismum benè probo, totam quæstionem elucido. Maior est certa ex omnibus Moralistis, cum omne peccatum, vmbram, & periculum peccati debeamus fugere. Maior quoad primum partem probatur. In oneribus Vassallo iniungendis tunc peccat Rex, quando non servat proportionem geometricam, D. Thom. 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. Delben. *dub.* 10. *num.* 12. Vazq. & alij, cum Rex non habeat facultatem gravandi subditos inæqualiter, Delbene *dub.* 4. *sect.* 5. *num.* 13. & *sect.* 6. *num.* 2. adeò vt iustitiæ commutativæ iniuria fiat, & gravamen iniustum censeatur: atqui Rex, qui, non habens, nec sperans habere vnde solvat, cogit Vassallos habētes tunc temporis merces, ad eas vendendas,

non servat proportionem geometricam iustificantem omne onus à Rege imponendum, & quæ iustitiam commutativam servat indemnem; inæqualiter eos gravans, cum omne onus cadat in habentem merces, non autem in non habentem: ergo,&c.

8 Confirmatur ex Marquez in suo Gubernatore Christiano *lib.* 1. *cap.* 16. *fol. mihi*, 88. ibi: *Y proporcion en el repartimiento, assi con la causa, como con los Vassallos: con la causa, como si para salir del aprieto bastassen tres, no se podian repartir quatro. Y distribuyendo aquellos tres con igualdad, y de manera que no toque tanto al pobre, como al rico, sino à cada vno respectivamente, y por rata.*

9 Confirmatur secundò, & est probatio minoris. Ideò in primo casu Rex potest cogere Vassallos ad vendendum contra regulam iuris petentem arbitrium liberum, quia est ad victum, vel proprium, vel militum, & cedit in bonum commune, ad quod tenentur, vt dictum est Covarr. *dict. lib.* 3. *cap.* 14. Delben. *de commit. tract.* 6. *dub.* 10. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *in corpore*; sed ad bonum commune non tenentur particulares, vt tales, sed omnes, & singuli, & tunc, tenentur ex iustitia, & ex peccato, Delb. & S. Thom. *loco citat.* ibi: *Cum enim vnus homo hoc ipsum, quod est, & quod habet, est multitudinis, sicut, & quælibet pars id quod est, est totius: Vnde, & natura aliquod detrimentum infert parti, vt salvet totum, & secundum hoc leges huiusmodi onera proportionabiliter inferentes, iustæ sunt, & obligant in foro conscientiæ.* Ergo omnes cogi debent, non pauci, & per consequens tali necessitati non potest subveniri cum par-

ti-

ticularium nocumento, & damno, quia hoc est iniustum, Philos. *lib.* 3. *polit. cap.* 5. *& lib.* 8. *eth. cap.* 10. vtpotè vulnerans iustitiam commutativam, quæ in recta æqualitate consistit.

10 Ex quo clarescit non esse bonam consequentiam: Potest Rex cogere ad vendendum in primo casu: ergo & in secundo, cum punctum difficultatis consistat in coactione libertatis, quæ vbique vulneratur. Resp. nego consequentiam, difficultatemque nego in eo solum consistere. Immò dico nõ omnem coactionem esse malam, sed coactionem irreparabilem, quando scilicet, non habet Rex vnde solvat, nec sperat habere, vel quandò adeò longe sit, vt cognoscat post multos annos non posse solvere. Cumque coactio ad vendendum in secundo casu sit huiusmodi, ex hoc capite esset iniusta; non quia coactio, sed quia irreparabilis. Coactio autem primi casus ad vendendum scilicet pretio soluto de præsenti non est incommoda; illud enim incommodum coactionis sufficienter reparatur soluto pretio, adeò vt ferè nullum existimetur post pretij præstationem. Inde est quod in primo casu coactionis ad vendendum pretio prẹsente non lædatur iustitia, cum respectu illius æqualitas abundè servetur.

11 Ex his iam pullulat ratio secundæ partis illius minoris, nempè, quod in coactione ad emendum pro sublevando Rege non detur probabilitas peccati in cogente Rege, sed in coactis si se excusent à tali emptione. Quæ ratio ita se habet: Eadem obligatio naturalis, quæ Regem adstringit ad defendendum Vassallos in pace, & iustitia,

tia, eadem adstringit Vassallos ad præstandum Regi, quò eos in tali iustitia, & pace servet, iuxta illud: *Dignus est mercenarius mercede sua*, cum reciprocæ sint, & constat ex multis, quæ cumulare vanum esset.

12 Ex hac reciproca obligatione (nota) iustitiam accipiunt, vt in foro interno obligent, omnia tributa, vectigalia, Portoria, & cætera huiusmodi; adeò vt deficiente requisito istius obligationis, vel quia Rex aliunde habeat ad subveniendum tali necessitati, vel quia non detur talis necessitas, exactio non dicatur iusta, sed potiùs tyrannica, vt ex D. Thom. manet dictum, Delben. *de commit. d.9. num.* 8. & furtum dicatur à Ripoll *de Regal. cap.* 7. *num.* 19. Marquez *in suo Gubernatore, lib.* 1. *cap.* 16. *fol. mihi*, 87. & è contrario quando datur necessitas, est obligatio penes Vassallos, & in foro conscientiæ tenentur ad id prestandum, D. Thom. *dict. articul.* 4. *quæst.* 96. *ad* 3.

13 Atqui in casu à nobis proposito datur vrgentia, & necessitas Regis ad victum militum; & aliunde paupertas, aut inopia saltim pro aliquibus annis à Rege, seu eius Locum tenente prævidetur (vt supponitur in quæsito) ergo datur obligatio in Vassallis ad præstandum Regi pro tali victu militum, adeò vt si non præstent, peccatum committant, ita omnes Moralistæ Vazq. *de restit. cap.* 6. §. 3. Delben. *tract. de commit.* ex nostris Balmas. *de collect. quæst.* 2. *num.* 6. Salced. *in theat. honor. ad leg.* 16. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. gloss.* 47. *per tot.* Avend. Cabrer. *de metu, lib.* 2. *cap.* 28. Petr. Surd. *decis.* 305. *num.* 13. Solorçan. *de gubernat. Indiar. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 12.

14 Hæc autem obligatio omnes, & singulos Vassallos ligat, non vero particulares. Probatur instaurando rationem suprà positam. Hæc obligatio, vt diximus, resultat in Vassallis ex illo principio supradicto, nempè, quia cedit hic victus, seu sustentatio militum in bonum commune. Item, rationi consentaneum est, vt hæc obligatio eodem modo, & graduquo ligavit, eodem satisfiat, vt ita maneat solutio obligationis iustificata; sed in obligatione ad bonum commune omnes, & singuli, non autem particulares tenentur: ergo ad solutionem omnes, & singuli, non autem particulares tenebuntur, sic Delben. *de commit. d.* 4. *sect.* 26. Quæ proportio geometrica debet observari, vt possit iusta censeri solutio. Ideo iusta fuit exactio frumenti in Ægypto à Joseph Prorege imposita, vt quinta pars præstaretur Regi in illis septem annis vbertatis, quia omnibus æquè imposita, *cap.* 41. *Gen.*

15 A Romanis etiam observabatur, & quidem vigilantià summà, hæc proportio geometrica ad exercitum alendum, *leg.* 1. *Cod. de muner. & honor. lib.* 10. ibi: *Comparationi, transvectionique specierum, vniversi sine vllo privilegio coarctentur.* Et infrà: *Vt non tantum requiratur idoneus, verum vniversi pro proportione suæ possessionis, iugationisque, ad hæc munia coarctentur, & à summis sarcina vsque ad infimos decurrat.* Et Luca de Penna *ad verb. Idoneus*, ait: *Non solum dives, & opulentus;* (licet alias accipiatur pro idoneo propriè) sed etiam pauper proportione suæ possessionis, iugationis, hoc est, substantiæ possessæ, vel bonorum immobilium, iugationis scilicet boum, & animalium; ita

ita vt intelligatur non solum divites, & pauperes obligari, sed & possidentes mobilia, & immobilia.

16 Ergo debet hæc proportio geometrica fieri nulla persona exempta, vel excepta, *leg.* 3. *eod. tit.* ibi: *Omnique excusatione cessante, nullaque persona, vel dignitate penitus excepta.* Et post pauca: *Ad comparationem frumenti, aliarumque specierum.* In tantum, vt nec propriæ Imperatorum personæ exciperentur, *leg. vnic. Cod. vt nemini*, ibi: *Quoties vrgente necessitate comparationes frumenti, vel hordei* (alias olei) *aliarumque specierum quibuslibet Provincijs inducuntur, nulli penitus possidentium sese sub cuiuscumque privilegij occasione excusandi tribui facultatem censemus.* Et paulò post: *Adeo namque huiusmodi onera cunctis, pro qua singulis portione contigerit, volumus irrogari, vt ab ijsdem comparationibus, nec sacratissimæ nostræ Petatis, nec Serenissimæ nostræ Coniugis domum patiamur subtrahere.* Vbi adverte illa verba: *Cunctis* :::: *pro qua singulis*, sufficienter demonstrantia proportionē geometricam necessario desideratam, vt coactio in favorem communis vtilitatis iustitiam commutativam non vulneret, Vazq. *de restit. cap.* 6. §. 1. *n.* 29. qui plures refert. In quà iustitià Romani scrupulosi extitere. Sed quia Divus Thom. omnia comprehendit 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. eius verba annectere opere pretium duxi: *Dicendum, quod leges positæ humanitus, sunt iustæ, vel iniustæ; si iustæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à quà derivantur secundum illud, Prov.* 8. *Per me Reges regnant. Dicuntur autem leges iustæ, & ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune; & ex actore,* quan-

quando scilicet lex data non excedit potestatem ferentis; & ex formâ, quando scilicet, secundum æqualitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. Et paulò post, loquens de lege iniusta secundum formam, ait: *Vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiam si ordinentur ad bonum commune, & huiusmodi magis sunt violentiæ, quam leges; quia sicut August. dicit in lib. de libero arbitrio, lex esse non videtur, quæ iusta non fuerit; vnde tales leges non obligant in foro conscientiæ.*

17 Hæc Regalia cogendi ad emendum, est specialissima Principis, vel eius Locum-tenentis. Eà non gaudet Prefectus, qui, quanquam in rebus Annonę aliquomodo Regis personam agat, habet taxatos suæ repræsentationis limites, qui ad hoc reducuntur, vt pro victu militum, & sumptibus Classiarijs auferat, & extrahat merces necessarias à quibuscumque Dominis, emens illas ab illis, non perscrutans, an Rex sit solvendo, vel non, faciens pactum, & contractus cum Dominis, & illis præstans mandatum in scriptis, *despacho*. Quæstori Generali, tradendum, *al Pagador General*, solvendi de præsenti, & ad numeratum. An autem Rex habeat, vel speret habere vnde solvat, necnon? Ad Proregem spectat, non ad Præfectum, qui munus suum integrè adimplet, & suæ obligationi satisfacit, obediendo Proregis iussionibus, & nutibus.

18 Quia tamen hæc idea cogendi Vassallos ad emendum res necessarias Annonæ Regis, & succurrendi illis illi, non facilè ad praxim fortè posset reduci, non enim commodè, nec opportunè con-

tractus particularibus fieret, & commodiùs fortè esset conventiones, seu contractus fieri à Ministris Regis, nempè Præfecto, & Visore in hoc expertis, si Prorex (inquam) seu hac Regalia cogendi Vassallos ad emendum gaudens, maluerit hoc, & quod Ministri, & non particulares emant (quanquam alacriùs solvatur in specie à Vassallis, secundum Larrea *allegat.* 59. *tom.* 1.) poterit hoc ipsum alio modo disponere, cogere, scilicet, in illis circunstantijs maximæ illius Regiæ necessitatis, Vassallos ad hoc, vt pecunias mutuent Regi proportione servatà inter omnium, & vniuscuiusque facultates, vt ex producto, & cumulo mutuorum Ministri Ordinarij emere possint Annonam Regi necessariam, sic Avend. *de exeq. mand. cap.* 19. *n.* 34. qui plures citat.

19 Hoc medium adeò totum est, vt non solum non possint non mutuare, sed si mutuare recusent, possint incarcerari, quantumvis nobiles, Platea *in leg. vnic. Cod. vt nomini. lic. lib.* 10. Tunc enim mutuum iustum erit, & cogens non est, nec censebitur iniustus. Coacti autem (si proportione servata, & servanda facta sit coactio) tenebuntur ex iustitia ad mutuandum, & succurrendum nostri Regis necessitati tunc vrgenti, S. Thom. *dict. quæst.* 96. *artic.* 4. ibi: *Et secundum hoc, leges huiusmodi onera proportionabiliter inferentes, iustæ sunt, & obligant in foro conscientiæ.* Delb. *dict. sect.* 26. *num.* 3. Balmased. *de collect. quæst.* 2. *num.* 21. qui pro certo statuit esse veram hanc resolutionem, posse qui Regem, vel collectam imponere ad solvendum sumptus, vel obligare ad mutuandum, cum Platea *in leg.* 2. *Cod. de omn. agro.*

desert. lib. 11. Velazquez *consf.* 99. *num.* 17. Cevall. *in commun. tom.* 4. *q.* 906. *num.* 44. Hermos. *in rubric. leg.* 1. *part.* 5. *num.* 9. Paschal. *de virib. patr. potest. cap.* 1. *num.* 18. Thesaur. *de collect. tit.* 6. *à numer.* 6.

20 Insurgit pro illo casu curiosa quæstio: An scilicet tunc possent cogi ad mutuandum, duo vel tres, an vero debeat ab omnibus mutuum præstari. Balmaseda *vbi supra*, eam movet, & non resolvit, sed examinandam, & dividendam reliquit ex Klockio *de Ærario Fisc. lib.* 2. *cap.* 33. cum Mantic. Aceved. & Borreb. Aliqui dicunt posse mutuum peti ab vno. Alij debere peti ab omnibus. Vtrumque sententiam distinctione compono. Vel illud mutuum faciendum venit cum consideratione redituum, seu interesse *intereses* (illorum scilicet, qui permittuntur à Theologis in materia de mutuo, lucri scilicet cessantis, vel damni emergentis) vel sine illis?

21 Si mutuum petatur promissis reditibus, seu cum interesse, tunc bene poterit Rex petere illud mutuum ab vno, vel duobus, & non ab omnibus. Nec obstat inæqualitas, quæ iustitiæ videtur opponi, quia sufficienter inæqualitas compensatur reditibus. Immò, & involuntarietas eisdem reditibus sufficienter etiam cōpensatur. Ideo Balmased. cum Novar. *de gravam. vassallor. gravam.* 21. tenet illud mutuum debere peti, & fieri cum interesse.

22 *Si* vero non promittantur reditus, sed mutuum petatur sine interesse, debet mutuum exigi ab omnibus. Et ratio est: quia cum in locum coactionis ad emendum, hoc mutuum succedat, debet hoc mutuum fieri

cum omnibus requisitis, & circunstantijs, quibus fieri deberet coactio ad emendum; sed coactio ad emendum, vt licita evaderet, debebat fieri servatà proportione geometrica, hoc est debebat imponi omnibus, & singulis proportionatè, & non paucis, aliàs coactio careret iustitia: ergo hoc mutuum sine interesse petitum eodem modo debet exigi, hoc est, ab omnibus; aliàs iustitia carebit, vel Rex cum formidine saltim operabitur.

23 Vtrumque autem mutuum, tàm à paucis, quàm ab omnibus Vassallis extortum media coactione. Si Regi superveniant divitiæ, debet omnino solvi. Si autem non superveniant, sed Rex in ipsissima indigentia, & necessitate permaneat, quid faciendum? Respondeo cum distinctione. Si ab vno, vel à paucis mutuum fuit exhibitum, & præstitum, debet solvi cum impositione novæ collectæ, hoc est debet imponi collecta, vt mutuum solvatur, & mediante illa Vassalli tunc mutuum præteritum solvent cum reditibus, seu interesse, ita Delben. *de comit. dub.* 10. *num.* 16. *& dub.* 9. *num.* 9. Si vero illud mutuum fuit extractum ab omnibus proportione geometricà servatà, cum illis requisitis, supradictis, ipsum mutuum poterit pro collecta sumi, & aliâ collectà non est opus; idem enim omnino est, cedere omnes, & remittere debitum, ac vnumquemque sibi ipsi illud solvere.

24 Hæc sufficiant. Relinquo indisputatam illam celebrem quæstionem, an ex eo quod Rex, vel eius nomine Prorex dicat Regem esse in necessitate adeò extrema, vt novum tributũ debeat imponi, credendum ceco mo-

modo sit attestanti, & talem necessitatem affirmãti, an vero possit examinari, dubitari, & contradici? Non pertinet ad Præfecturam, qui eam pulchrè disputatam videre voluerit, adeat Delb. *in dict. tract. dub.* 2. *&* 3. & quos ipse citat, ex nostris Valenç. Vel. *consf.* 99. *punct.* 1. qui etiam plures citat, *&* *Clementin.* 1. *de probat.*

25 Eàdem ratione non disputo: an ad novum tributum imponendum requiratur consensus populorum per Procuratores efflagitatus? De quo pro dignitate, tractant Delben. *dict. tract. dub.* 17. *& dub.* 18. *&* 19. Marq. *in suo Gubern. Christ. lib.* 1. *cap.* 16. *fol.* 88. qui plures pro sua citat.

26 Linquo etiam aliam quæstionem non examinandam: An, quando ad mutuum solvendum nova collecta imponitur, ipse mutuans debeat solvere tallem collectam.

CAP. VI.

De Præfecto ementE.

Quæstio. *Vtrùm Præfectus emens possit aliquo prætextu suprà supremum iustum pretium ascendere?*

1 Iam prędefinitis Annonis, earum dotibus, & alijs circa eas necessarijs, venit prçcipuum munus huius Præfecturæ emendi, scilicet, species Annonarias Classi Regię, carinis, apparatuique navium necessarias. Prodeunt examinandæ de pretijs rerum venundatarum intricatæ difficultates. Fateor esse nodum Gordianum, quem disrumpere vix possim. Omnes venditores in his, quæ ad venditionem spectant, maximos Theologos videri video, quin vel librum

brum sciant aperire, nec scholas, vel à limine salutaverint. Immò eo Theologiores apparent, quò laiciores sunt; verosque Theologos, Doctores, & Moralistas, quorum prudenti iudicio subijci, & à quibus in ijs, quæ ad nostras conscientias, earumque in nostris operationibus securitatem pertinent, Regi, & instrui debemus, parvipendunt.

2 His potest adaptari dicterium illud cuiusdam animi apud S. August. *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 3. *tom.* 3. In magno hominum à se ad id convocato congressu promisit se omnium cogitationes in lucem proditurum. Hanc ariolationem, fortè tanquam magicam, quia secretorum mentis, & cordis rimatricem, & scrutatricem expectantibus, silentio indicto, hoc solum, facetè quidem, dixit: *Omnes vultis vili emere, carò vendere.* Magna veritas, vsu quotidiano, & omnium hominum attestatione comprobata: cum nihil aliud in suis venditionibus, & emptionibus hi doctissimi quique procurent, quam se invicem decipere in exaltatione, & abiectione mercium, quas vendunt, vel emunt. In emendo, mercem plus æquò viteperant, in vendendo, plus æquò laudant. Emptor mercibus à se emendis defectus obijcit, & vitia, vt eas viliori pretio emat. E contra venditor rei vendendæ præstantiam extollit, vt eius pretium adaugeat. De emptore ait Spiritus Sanctus per Salomonem, *Prov.* 20. 14. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriatur.* Eo namque omnes vendentium, & ementium cogitationes, rationes, & studia in nundinis collimant. Ad rem ergo.

Vt

3 Vt emptiones Præfacti facili modo fierent, & venditores promptè, & sine expensis pretia suarum mercium reciperent, iubetur bene, & iuste, *in leg. 5. lib. 9. tit. 17. Nov. Recopil. Indiar.* apponi pecunias apud Quæstorem Militarem, vulgò, *Pagador General.* Præfectus qui emerat, venditores mittebat ad dictum Quæstorē, iubens in scriptis illi solvi, nullu alia re opus erat: promptè negotium claudebatur. At paulatim hæc via plana, & brevis cæpit ambagibus prolongari, offendiculis horrida esse. Nescio, quo principio, fortè occasione adærationis Regij ærarij, vel propter maiores sumptus, vel minores proventus, pecunia ad solvenda debita Præfecturæ cæpit non peni, apud Quæstorem. Mandatum Præfecti de solvendo directum ad Quæstorem ad nihilum deserviat contra leges, & Regias ordinationes.

4 Partes, seu qui Præfecto vendiderant ad Dom. Proregem cum tali mandato de solvendo, omnibusque instrumentis, quibus debitum clarescebat, adibant. Qui, vt ipsi libebat, vel statim, vel transactis mensibus, vel anno, aliud mandatum suprà primum sufficiens construi inbebat, & remitti Regijs Officialibus contra dictam *leg. 5.* ibi: *Y no serà necessario para pagar las librançàs, bolver las partes à pedirlo en la Caxa.* Tale enim secundum mandatum novas expensas postulabat, ne dicam extorsiones ab inferioribus cupidis Ministris fieri solitit, plusque laboris, & expensarum in recuperando debito, vsque dum tandem à Dom. Prorege partium clamoribus auditis cum effectu solvi iubebatur.

5 Ex his duo inconvenientia, & quidem gravia,

via, incessanter oriuntur. Primum est difficultas, immò & occultatio mercium Annonæ necessariarum; earum enim Domini horrescunt iam cum Præfecto cōtrahere propter dilationem solutionis, & expensas, quas faciunt, vt suum recipiant. Aliquando Præfectum quærebant, vt ab eis voluisset emere: modo Præfectum fugiunt, ne illos sibi vendere cogat. Secundum inconveniens est, quod motivum huic quæstioni dat, nempè dolus, mendacia, & animus decipiēdi Præfectum in statuendo pretio mercibus, quas ab ipsis pro Annona emit. Quando enim accedunt ad conveniendum cum Præfecto de pretio, plus iusto petunt adeò suprà summum rigorosum iustum, vt non erubescant exigere viginti pro eo, quod decem valet: Moventurque his fundamentis, quæ argumenta contra nos vocabuntur.

6 Primò, quia emptio, & venditio, eo quod sit contractus bonæ fidei, *leg. Res bona fide, 54. ff. de contrah. empt. leg. 1. §. Si venditor, 11. ff. de action. empt.* statim ac perficitur, obligat venditorem ad rem tradendam, & emptorem ad pretium præstandum, *leg. Exempt. 11. ff. de act. empt. leg. 2. ff. de obligat. & action.* adeò, vt si aliquis eorum in mora constituatur, teneatur ad totum interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, iuxta commune omnium Theologorum, quos referre longum esset viderique possunt apud Rebellum 2. *part. lib. 9. sect. 2. num.* 8. aut quemvis alium Authorem obvium. At qui vendens Præfecto Annonæ, vendit ad numeratum, vt constat ex ipso instrumento (aliàs *despacho*) ibi: *A pagar de contado*; ergo si in mora constituitur, debet

debet solvere, non solum pretium intrinsecum rei, verum etiam interesse lucri cessantis, ac damni emergentis; sed plerumque in mora constituitur propter difficultates in solvendo prædictas: ergo, &c. Progreditur argumentum: sed hoc non potest alio instrumento peti à Rege, quam ipso, quò debitum constat: ergo in ipso instrumento, quò debitum constat, potest augeri pretium vltra numeratum ratione huius moræ iam antea prævisæ, seu imbibi pretium correspondens lucro cessanti, aut damno emergenti in pretio mercis venditæ.

7 Secundò probatur præcisè ex ratione moræ, *ex leg. 5. Cod. de act. empt. & leg. Iulianus, 13. §. Conveniunt, 20. ff. eod.* ex quibus satis clarè constat, ob dilatam solutionem emptorem teneri ad vsuras præstandas habito respectu intervsurij medij temporis: ergo emptor morosus debet solvere intervsurium medij temporis: subsumo similiter; sed hoc intervsurium non potest peti à Rege, nisi ipso instrumento debitum continente, & pretium imbibente: ergo potest pretium augeri, &c.

8 Confirmatur primo, *ex leg. 2. Cod. de eo, quod certo loco, & leg. Commissa, ff. rem ratam haberi,* vbi si in mora fuit constitutus debitor, & res vilior facta fuit, aut perempta, non solum de damno tenetur, sed de lucro. Cumque morà solutionis Præfecti lucrum cesset, inde est, quod teneatur, non solum ad pretium, sed etiam ad lucri, & damni interesse, ac proinde pretium possit augeri vltra numeratum. Alioqui culpa, seu mora non noceret moroso contra regulam *in cap. Mora, de regul. iur. in 6.*

9 Confirmatur secundò, *ex leg. Solidum*, 85. *ff. de solut. & liberat. & leg.* 12. §. *Minus solvit*, *ff. de verbor. signific. ubi minus solvit, qui tardius solvit; nam & tempore minus solvitur*, & *ex* §. *Fideiussores*, 5. *institut. de fideius.* ibi: *Plus est enim statim aliquid dare ; minus est post tempus dare*, §. *Si quis agens*, 33. *instit. de act.* ibi : *Qua enim ratione , qui tradius solvit , quam solvere deberet, minus solvere intelligitur* : ergo vt minus non solvat, debet augeri pretium rei centum valentis.

10 Tertiò probatur, fundamentum desumendo ex Medina *de restitut. quæst.* 38. *caus.* 3. & 4. in hunc modum ratiocinando. Ius recuperandi centum cum probabili periculo illa amittendi minus valet, quam ipsamet centum citra periculum, vt communi sensu habetur: ergo qui vendit rem centum valentem cum periculo illa centum amittendi, non vendit in centum, sed in minus: Ast non est ratio cur venditor perdere cogatur illud minus: ergo bene, & licitè in ipso pretio aucto poterit illud periculum, & minus pretium resarcire; sed qui Præfecto vendit merces, vendit cum periculo eas amittendi , vel pretium earum, vel in toto, vel in parte: ergo, &c.

11 Confirmatur, quia creditorem exponere rem periculo, est pecunia æstimabile; nam ideo fideiussor, vel crediti assecurator potest, iuxta communem, pretium accipere pro fideiusione , vel assecuratione , quia exponere rem, vel pecuniam periculo, est pecunia æstimabile. Sed qui Præfecto, vel Regi vendit, ex ponit pecuniam rei venditæ periculo probabili: ergo debet esse pecunia æstimabile : ac per consequens pre-

pretium augeri potest vltra nu.neratum ad rigorosum.

12 Quartò probatur ex doctrina Conradi *de contract lib. quæst.* 59. *collorar.* 1. *&* 2. *post* 3. *conclus.* Silvest. *in Rosa aurea, verb. Vsura*, 2. §. 5. Maior *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 40. Navarr. *cap.* 23. *numer.* 84. Torrec. *Consult. mor. tract.* 5. *de iustit. & iur. & tom.* 5. *sect.* 4. *num.* 34. *fol.* 278. Qui omnes affirmant posse pretiũ augeri pro damnis, expensis, & laboribus, qui possunt timeri in recuperando debito: atqui in nostri casus contingentia venditores non solum timent, sed & experiuntur, & patiuntur damna, labores, & expensas: ergo & pretium debet augeri.

13 Confirmatur primo, ex eo, quod in contractibus debet quis se indemnem servare, vt communiter Theologi; adeo vt (quod plus est) naturaliter liceat contrahentibus se invicem decipere, *leg. In causæ*, la segunda, *leg. In ordine*, 7. *ver. Idem, Pomponius, ff. de minor. leg.* 25. §. *fin. ff. locati*, ergo iuris permissione potest, quis rem carius vendere ob dilatam solutionem; præsertim cum, quod legis authoritate fit, rectè fiat, Gonçal. *ad cap.* 6. *de vsuris, num.* 2.

14 Confirmatur secundo, ex omnium DD. Theologorum doctrinà asserentium damna, & impensas esse resarcienda, quando certò cognoscuntur; præsertim quando culpà ipsius emptoris fiunt, cum tales expensæ deducendæ veniant à sorte principali; sed certò certius est dari maiorem laborem, maioresque expensas pro recuperando debito, dum aliud mandatum iubendi sit à Regijs Officialibus, vt ex se clarescit: ergo ratione expensarum pretium

rei venditæ potest augeri.

15 Quintò probatur (& est confirmatio præcedentis) ex querelis, quę solent à venditoribus audiri mihi incredibiles, sed audimus eas. Conqueruntur itaque, & dicunt, productum instrumenti, hoc est, *despacho*, contentum in mandato Præfecti de solvendo non aliter solvi, quam si, vel dimidium producti, vel tertia pars, vel ad minus triginta pro centum remaneant penes solventem, aut penes personam interpositam ad hoc, vt solvi posit. Proh dolor! Nemo pretium deducit ex proprio marsupio, vt creditori Regis maneat solutum pretium ipsi debitum. Casu, quo solvatur, Rex est à quo solvitur, Regià, & non alterius pecunià. Cur ergo hæc interpositio, seu hæc antelatio pretio æstimabilis est videnda? Ad rem. Supposita hac inordinatione, malitia, seu furto, creditor Regis ita secum ratiocinatur. Ego vendo Regi rem centum valentem, si, vt solutio mihi conferatur, debeo relinquere quinquaginta, & non augeo pretium, remanebunt solum quinquaginta pro valore rei centum valentis; sed vnusquisque debet se immunem servare, vt cum communi ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. ergo possum petere centum, & quinquaginta pro re centum valente, vt soluto illo furto pro facilitate solutionis, possint mihi remanere illa centum, quæ mea merx valet: ergo, &c.

16 Sextò probatur. Immò apparet evidens saltim in venditore coacto, qui in vtroque foro potest exigere pretium mercis, & interesse pretij absque eo, quod pactum intercedat, sed solum ratione coactionis,

sic

sic Rebellus *lib. 8. quæst. 5. numer. 3. Nam si coactus* (inquit) *mutues, iniustè pateris nocumentum damni emergentis, sed tale nocumentum iniustè passum resarciri debet ab inferente*: ergo, &c. Sed sæpè, qui Præfecto vendit, vendit coactus ex mala solutione prævisa, ergo ad instar coacti deducere potest debitum, & interesse debiti. Sed non est alius modus opportunior, quàm prædictus imbibendi pretium damni à coactione orti in pretio mercis: ergo ita fieri poterit.

17 Confirmat exemplo eius, qui furatur à mercatore pecuniam destinatam negotiationi, qui non solum tenetur restituere pecuniam, sed etiam damnum emergens aliquidque pro lucro cessante: ergo, &c. Assertumque stringit, *ex leg. Si quis vxori, 52. §. Si seruus, ff. de furt. leg. 3. ff. de condit. furt. iuncta regula peccatum, de regul. iur. in 6.* Ex quibus probationes eruit fortes pro quocumque venditore, adhuc vendente Principi.

18 Quæ doctrina extendi debere videtur ad plures alios venditores, v. gr. ad Dominum, qui merces non habet expositas venditioni, sed in domo sua, nec vult eas vendere, quia eis indiget: quo in casu potest pretium augere propter iniuriam, quà afficitur in eo, quod privetur mercibus sibi reservatis, & necessarijs, sic Covarr. *lib. 2. var. cap. 3. num. 4. vers. 4.*

19 Extendi etiam debere videtur ad eum, qui licet habeat rem vendibilem, non tamen est eam tunc venditurus, sed opportuniori tempore, triticum, v. gr. non in Augusto, sed in Martio, quod damnum nuncupatur intrinsecum, ex Rebel. *lib. 8. quæst. 8. conclus. 1.* quam doctrinam expresse insinuat,

nuat, *textus in cap. Naviganti fin. de vsuris*, & omnes scribentes ad eum, Covarr. *lib.2. cap.2. num. 6. in princip.* qui citat Silvest. & S. Bern. *serm.34. art.1. col.3.* Præsertim si, qui Præfecto vendunt, aliunde haberent alios emptores, qui ad numeratum solverent. Præsertim si venditis Præfecto mercibus illis, aliæ non remaneant vendibiles promptioribus emptoribus: quæ sunt conditiones communiter à Doctoribus in hac materia positæ, vt iustitia illius interesse suprà pretium mercis liquidò, appareat, & pretio accrescat, vel accedat, Rebel. *dict. lib.8. quæst.6.*

20 Confirmatur tota hæc doctrina, ex D. Thom. *2.2. quæst.77. artic.1.* vbi distinguit inter emptionem, & venditionem secundum se, & secundum, quod per accidens cedit in alicuius vtilitatem, vel damnum. Adeò vt in primo, non possit augeri pretium, bene autem in secundo, & hæc verba subnectit: *Et in tali casu iustum pretium erit, vt non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit; & sic licitè poterit aliquid vendi, plus quam valeat secundum se, quamvis non vendatur plus, quam valeat habenti*: ergo, vt damnum, quod sentit venditor, possit resarciri, augendum est pretium rei venditæ.

21 Confirmatur secundo, *ex cap.6. de vsuris*, vbi pretium intrinsecum rei qualiber de causa potest augeri: ergo ex causa rationabili, & prudenti, rationabiliter, & prudenter augeri potest; sed in nostro casu causa est huiusmodi: ergo, &c. Quod à Rebel. *quæst. 6. num.7.* stringitur in hunc modum; quia nempè in his

his doctrinis circa mutuum versantibus, & aliquod interesse permittentibus, vna ex primarijs conditionibus est, quod scandalum vitetur, vt vsuræ suspicio fugiatur. Sed nullo alio meliori modo (vt ad nostrũ casum omnes argumentorum doctrinas trahamus) prædicto scandalo occurritur, quam imbibendo in pretio mercis emptæ illud aliud pretium, quod probabiliter est licitum, vel ratione moræ, vel damni emergentis, vel lucri cessantis, vel coactionis, vel aliús motivi: ergo ita fieri poterit: ergo bene peterit Præfectus pretium mercium, quas pro Annonà Regià emit, augere.

22 His tamen non obstantibus, sit conclusio. Præfectus Annonæ nullo modo potest augere pretium rerum venundatarũ vltra rigorosum, quoad numeratum, ita Rebellus 2. *part. lib. 9. quæst.* 12. qui pro sua parte citat Conrad. *de contract. quæst.* 59. *corol.* 1. & 2. *post* 3. *concl. & argum.* 2. *part.* 4. Cordov. *in Sum. quæst.* 84. *in* 2. *opin.* Gutierrez *cap.* 39. *practic. quæst. num.* 30. Sot. *lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. Navarr. *cap.* 23. *n.* 81. Gonçal. *ad explanat. cap.* 6. *de vsuris*, qui plures alios citat, & refert.

23 Probatur primo conclusio; quia esset vsura, quod sic probo. Illa est vsura palliata (idque circò à iure reprobata) quæ continet mutuum palliatum, occultum, aut præsumptum, hoc est, quãdo cõtrahentes ostendunt verbis celebrare emptionem, aut locationem, sed rei veritate inspecta, neglectaque simulatione mutuum contrahunt, *leg.* 3. & 38. *ff. de obligat. & action. leg.* 1. *per tot. Cod. plus val.* sed in casu dilatæ solutionis rei in suo intrinseco valentis cen-

centum ad numeratum, accipit illa centum ratione emptionis, cum omnia certum, & destinatum pretium habeāt, iuxta *leg.* 1. *ff. de contrah. empt.* ibi: *Cuius publica, & perpetua æstimatio*, & illa decem superexcrescentię accipit, vt lucrum solutionis centum dilatæ propter mutuum occultum, & palliatum, quod inbibitum in est dicto contractui (quod nec à contrarijs negatur) ergo est vsura palliata, ac per consequens illicita.

24 Confirmatur primo, ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 7. ibi: *Quod si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit iustum pretium, vt de pecunià solvendà emptorem expectet, manifestè vsura committitur, quia huiusmodi expectatio pretij solvendi habet rationem mutui*: ergo, &c. sic Medina, Salas, Leotardus *de vsuris, quæst.* 24. qui & alios citat, & noster Gonçal. *ad dict. cap. In Ciuitate*, 6. *de vsuris*.

25 Confirmatur secundo, & extenditur illatio conclusionis contra Præfectum, seu conscientiam Præfecti, si tali Theologiæ annueret, ex illo D. Pauli *ad Rom. cap.* 1. 32. *Digni sunt morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus*. Ex quo sic: ergo Præfectus peccat augendo pretium rei venditæ vltra numeratum. Nam iuxta Apostolum, qui consentit peccanti, peccat: sed Præfectus in eo augmēto pretij consentit vsuræ palliatæ vendentibus reprobatę, quæ est peccatum: ergo & Præfectus peccat, ergo non potest, &c.

26 Confirmatur tertio, ex textu in *cap.* 6. *de vsuris*, vbi cum quidam certas merces quinque libras valentes vendidisset, emptorque promisisset sta-

ſtatuto tempore ſex libras ſoluturum, affirmat Alexander III. venditorem peccaſſe, & vſuram palliatam fuiſſe, licet clara non appareret: & ita omnes Interpretes, *ad dict. cap.* 6. Etiam ex textu *in cap. Conſulvit*, 10. *verſ. Et an negotiator*, vbi vſurarius dicitur, qui merces ſuas longè maiori pretio diſtrahit, *ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ei incontinenti pretium perſolvatur*, ſunt verba eiuſdem textus: ergo, &c.

27 Et ex textu *in cap. Naviganti*, *eodem titul. de vſuris*, vbi vſurarius eſt, qui eunti ad nundinas mutuat pecunias, & aliquid vltra ſortem petit eò, quod mutuatæ pecuniæ periculum in ſe recipit. Quibus conſonat textus *in cap. Ad noſtram*, 5. *de empt. & vendit. cap. Illo vos de pignor.* Ex quibus omnibus clare conſtat augmentum pretij vltra numeratum eſſe vſurarium, licet creditò fiat, & aliunde periculum in recuperando debito cognoſcatur.

28 Secundò probatur concluſio. Si ob tale periculum imminens, poſſet augeri pretium rei vẽditæ, ſequeretur, quod tale periculum eſſet vendibile, ſed non eſt vendibile, nec pretio dignum: ergo, &c. Maior patet, minor probatur; quia quod eſt acceſſoriũ emptioni, non eſt pretio dignum, tale autem periculum eſt acceſſorium. Præterquam, quod tale periculum poteſt præcaveri per pœnam impoſitam, vel per fideiuſſores, quin ad peccatum recurratur. Item, quia ſi hoc periculum eſſet pretio dignum, poſſet etiam deduci ex re pignoratà percipiendo fructus pignoris, cum eadem ratio detur: ſed iuxta iura canonica, & commu-

munem opinionem Doctorum non poteſt creditor ex re pignorata deducere pretium percipiendo fructus pignoris: ergo nec venditor, &c.

29 Confirmatur primo, quia ſi periculum amittendi centum (vt ait Rebellus *dict. quæſt.* 12.) valeret decem ſtatim ſolvenda, ſequeretur, vt ſi eadem decem ſimul cum capitali crederentur, pro illis in eàdem proportione aliud pretium percipi poſſet, cum ſimili periculo ſubſint; & ſic periculi venditio abiret in infinitum, quod eſt infinitum abſurdum. Confirmatur ſecundo, nam illi metui ſufficienter ſatisfit à debitore, ſolvendo centum: ergo nihil amplius pro illo metu recipi poteſt.

30 Mitto alias probationes communes contra vſuras notorias. Quia vero adverſarij, vel venditores, qui contrariam ſententiam ſequuntur, tenent, vel tenere debent noſtrum caſum vſurarium non eſſe, ideo præcipuæ noſtræ concluſionis probationes eruendas iudico ex imbecillitate contrariæ, ex enervatione ſuorum fundamentorum, reſponſioneque ad argumenta. Et antequam deveniam, pro maiori claritate.

31 Suppono primo, ex infrà dicendis. Præfectum Annonæ aliquando conſiderari privatam, ſeu particularem perſonam in pretijs rerum, adeo vt eiſdem regulis metiri debeat, ac vnuſquiſque particularis emptor metitur. Aliquãdo autem ſtrictius omni particulari emptore; adeo vt quod venditores non auderent facere cum particulari emptore, vtpotè diſſonum in iure, & conſcientiæ aliquomodo adverſans, hoc cum Præfecto Annonæ, tanquam Regem agente velint, & valeant adipiſci.

Ali-

Aliquando vero adeo privilegiatus ex hoc capite reperitur, vt & merces extrahat à Dominis invitis, & taxam rebus venundandis, non attentà partium petitione valeat imponere, sed hoc ex infrà dicendis clariùs constabit.

32 Suppono secundo pro maiori intelligentia. Pretium rerum posse considerari, vel secundum se, vel habità consideratione industriæ, & laboris Domini, varietatis temporis, vbertatis, vel sterilitatis anni, &c. De quo videatur Gonçalez *in cap. 6. de vsuris, num.* 4. De primo pretio, quod est intrinsecum rei non disputatur. Secundum, quod ab eodem dicitur naturale, habet latitudinem, secundum Aristotel. 2. *eth. cap. 6.* Itaque cuiusque rei pretium triplex est, scilicet *supremum, medium, & infimum*, vide Covarr. *lib. 2. cap. 3. num.* 1. & 4. Rebel. *lib. 9. quæst.* 10. *num.* 1. & omninò nostrum Gonçalez *ad cap. 3. de empt. & vendit. num.* 4. qui prædictos citat, & exornat, item D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *in corp. & ad* 1. *in fine.* His positis.

33 Ad primum argumentum, *num.* 6. veniamus. Fateor obligationem reciprocam ex venditione resultantem tradédi rem ex vna parte, & pretium ex alia, simul ac de pretio conveniunt, sed nego Præfectum transgredi hanc obligationem, & in ea immorari; ipse enim, quantum est ex se, & in se, emit ad numeratum, & mandatum de pretio solvendo statim venditori præstat, & ad Quęstorem, *Pagador*, qui solvit sine mora, mittit. Ipse autem Præfectus nunquam pecunias accipit: ergo non potest ipse moram in hoc facere. Si solutiones retardantur, ab alijs retar-

dantur. De morà dicam in secundo argumento. In hoc, de excessu pretij propter lucrum cessans, & damnum emergens.

34 Firmiter dico, non posse Præfectum in emptionibus, quas facit, pretium augere ex capite lucri, quod venditori cessat, nec ex capite damni, quod ipsi venditori emergit. Si hoc convinco, Achillem partis contrariç vinco, nodum Gordianum rumpo. Omnes Doctores ita in hoc puncto distinguunt. Aut venditor particularis creditò vendens petit pretium carius iusto pretio numerato, aliquid amplius addendo iusto pretio ratione, vel lucri cessantis, vel damni emergentis, cum plenà notitià ipsius emptoris, vel sine illa? Si hoc fiat cum plenà notitià emptoris, benè fit; cum enim contrahentes, bene valeant paciſci inter se circa damnum emergens, aut lucrum cessans, vt tenent communiter Doctores, etiam valebit contractus de eo, quin censeatur vsura, ita Rebel. *lib.* 8. *quæst.* 5. *concluſ.* 3. & 4. & Covarrub. *lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 5.

35 Si vero absque notitià emptoris venditor exigat pro re, quam vendit, pretium carius excedens supremum iustum, v. gr. si rem valentem decem, vendat creditò in duodecim hic contractus est vsurarius, sic Rebel. *lib.* 8. *de vsur. concluſ.* 1. *num.* 2. & *lib.* 9. *quæst.* 10. *num.* 2. Soto *lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 3. *concluſ.* 3. Navarr. *cap.* 17. *num.* 211. D. Thom. *quæst.* 13. *de malo, articul.* 13. *ad* 14.

36 Vt autem cum plena notitià emptoris posſit venditor aliquid iusto pretio addere ratione lucri cessantis, quis ignorat multa alia requiri? Dicamus aliqua: nempè vere, & realiter reperiri præ-

prædictum lucrum cessans, vel quia venditor non erat tunc venditurus; *cap. fin. de vsur.* vel si venditor haberet emptorem ementem ad numeratum in tali quantitate, & aliunde non daretur apud eum copia dictarum mercium: nam si pro tunc, quando creditò vendit, non detur alius emptor, vel si detur, remaneant merces illius generis apud venditorem, non potest nec cum pacto, aliquid pretij vltra numeratum addere ratione crediti, vt optimè Rebel. *dict. lib. 9. quæst. 11. num. 8.* qui Silvest. & Covarr. *lib. 2. variar. cap. 3. num. 6. vers. 3.* pro sua sententia tradit, ibi: *Non facile debent Confessarij credere mercatoribus, qui sæpè carius iusto vendentes ad creditum, volunt excusare vsurarios contractus, prætextu lucri ea de causa cessantis. Si enim non inveniant alios, qui easdem merces emant numerata statim pecunia, vel etiam si inveniant, habent tamen similes alias merces, quas ipsi vendere possint, vel alias pecunias, quibus non minus possint negotiari, falsò prætexunt se à lucro cessante per talem venditionem impediri.*

37 Alię insuper conditiones requiruntur à Moralistis circa lucrum; alię etiam circa damnum, quas alibi tangam. Dicta sufficiant ad inferendum nullo modo posse in his contractibus addi pretium ex his capitibus suprà pretium summum iustum. Non sine notitia Præfecti, quia esset additio vsuraria ex dictis. Non cum plenà illius notitià, quia non concurrunt conditiones requisitę ad hoc, vt contrahentes possint licite pacisci de pretio addendo ex his capitibus lucri cessantis, & damni emergentis. Quamvis enim multæ conditiones concurrerent, vna tamen de

deest, nempè quod illa emptio creditò fiat. Præfectus enim, qui est emptor, emit ad numeratum, vt statim pretium solvatur: quod non accidit in alijs emptionibus in quibus additur pretium ex hoc capite lucri cessantis; in illis (dico) emptor scit emptionem creditò fieri, & pretium non solvendum statim; ipse enim de se scit, & scit se velle differre solutionem. Præfectus autem id non scit, immò credit statim pretium solvendũ; ipse enim Rex pro quo Præfectus emit, iubet Præfectum taxam apponere iuxta numeratum, & pretium statim solvi, vt habetur in diplomate, seu titulo Præfecti. Deficiente igitur in animo, & arbitrio Præfecti hoc fundamento venditionis creditò factę non potest tutà conscientià permittere pretium superaddi ratione lucri cessantis; semper enim quando ex hoc capite superadditur est suprà illud fundamentum, nempè venditionem esse creditò factam.

38 Dices hanc evasionem esse iniustam, quia ex ea, seu ex hoc discursu sequitur iniustitia, quæ fit venditori, quatenus ei prohibetur remedium, clamor, & actio contra Regem, vel Præfectum vim illi inferentem, orta ex notorio lucro cessante, vbi tuta consciẽtia superadditur pretium, & partes de eo paciscuntur, quę porta illi clauditur dum prohibetur de eo pacisci cum Præfecto emente.

39 Respondeo, nullam iniustitiam venditori fieri, nec portam claudi, nec tolli actionem. Si ratione lucri cessantis acquirit ius ad aliquod interesse excedens, & ei ad hoc oritur actio, illà vtatur, agat, petat; sed non à Præfecto, nec cum Præfecto, qui moram non com-

committit, nec ærarium Regis contrectat; agat cum Prorege, qui moram committit, qui ærarium contrectat, qui solutionem suspendit. Proponat venditor hanc actionem coram Prorege, qui cognità causà dicti interesse, cum Præfecti informatione poterit interesse taxare. Quod probari videtur *ex leg. Curabit, Cod. de act. empt.* ibi: *Curabit Præses Provinciæ compellere emptorem.*

40 Duo sunt distinctissima pretium rebus apponere, & iustitiam illius prævisi interesse examinare, taxare, resarcire, & solvere. Primum competit Præfecto: Secundum Proregi. Præfecto solùm competit apponere pretium adeò proportionatum, & iustum, vt vsuram non contineat, vt ex Apost. dictum habemus, resarcire autem damna, quæ ille non intendit causare, nec certò scit causanda, illi non competit. Prȩsertim cum illud interesse prætensum consideratum, vt pretium mercis venditæ, vel imbibitum in pretio mercis sit vsurarium, illicitum, & ab omnibus reprobatum. Consideratum, vt interesse resultans ex lucro cessante, aut damno emergente, sit permissum ab omnibus. Non confundat venditor actiones. Non ingerat actionem, quam habet ad interesse, in actionem, quã habet ad conveniendum de pretio. Cur facit illicitum, quod licitum est ei? Petat à Prorege damna causata; hoc est ei licitum. Non imbibat damna futura, & fortè non causanda in pretio mercis præsentis; hoc non est licitum ei.

41 Instabis. In conscientià Rex tenetur ad illa interesse, quæ debentur ex lucro cessante: ergo Præfectus debet illa imbibere in pretio, vt Regem

gem exoneret; cumque Præfectus aliam occasionem nō habeat, nisi illam in qua de pretio convenit, in ea id debet facere. Respondeo. Quis constituit Præfectum exoneratorem conscientiæ Regis in his, quæ ad Præfectum non pertinent? Quis posuit Præfectum in tam arctà obligatione, vt teneatur apponere remedium præsens infirmitati possibili, & quę fortè non eveniet? Ex quo Præfectus fecit cum venditore conventionem non vsurariam de pretio iusto rei emptæ, solutus manet Præfectus à conscientià Regis, & Proregis; & præcipuè à peccatis futuris, & præcipuè à possibilibus, & præcipuè à peccatis, quæ fortè non fient, & ferè semper non fiunt.

42 Quod, vt evidenter cognoscatur, vt hunc discursum pulchrè constringam, adeò, vt adversarij respondere mihi non possint, peto ab eis. Hæc dilatio solutionis est semper certa? Non possunt affirmare; non enim semper differtur, immò frequentius solvuntur emptiones Præfecti statim, ac cum mandato Præfecti venditores accurrunt ad Quæstorem Generalem. Aliquando solvuntur antequam Præfectus mandatum de solvendo subscribat: de hoc testificor. Multoties non est certa regula; aliqua debita promptè solvuntur, & alia non solvuntur.

43 Hoc supposito, ponamus in praxi intentionem vendentium Præfecto. Accedunt vendituri Præfecto rem, cuius summum pretium iustum est centum. Insuper venditor vult augeri hoc summum pretium ratione moræ prævisæ, lucri cessantis, &c. Supponamus Pręfectum illi annuere, & celebrari emptionem, & venditionem in centum;

& decem. Præfectus præbet ei mandatum de folvendo, *el despacho*, accurrit opportunè, accidit ei benè, vt sæpè sæpius accidit, & ei sine mora folvuntur illa centum & decem. In hoc ergo casu (qui frequentissimus est) interrogo te, amice venditor, quis solvet Regi illa decem, quæ suprà pretium summum iustum fuerunt adaucta? Certissime, & absque dubio tu venditor, & ego Præfectus vterque tenebimur, & in hoc non sunt opiniones: non est punctum controvertibile. Omnes Doctores nos condemnabunt. Ergo Præfectus non solum non potest pretium augere suprà supremum iustum, sed nec tenetur ad prævenienda illa damna, quæ venditor timet, nec poterit resarcire quantumvis vellet, ipsa damna; immò contra conscientiam faceret, & peccaret manens ad restitutionem obligatus, & contra veritatem faceret reputans damna certò futura, cum solum sint damna possibilia, & quæ sæpè non sunt.

44 Maneat ergo firmum, & solidà ratione fundatum, non posse Præfectum pretium augere vltra rigorosum numeratum, & in hoc vsuram palliatam committi; eò quod gratia illius pecuniæ creditæ non sit vendibilis, vsusque illius, dum vltra terminum non solvitur, pretio dignus non sit; cum mutuum, tàm clarum, quàm palliatum, quod arguitur ex illa venditione creditò facta, debeat fieri gratis; alioqui vsurarium debeat intelligi.

45 Dices. Pactò saltim possunt præcaveri plura, quæ imminent, & timentur damna oritura ex non insolitis moris, ex lucris, quæ cessarent, ex damnis, quæ emergerent. Hoc est prudens arbitrium Doctorum, vide

Rebel. *lib.* 8. *de vsuris*, *q.* 5. *in* 3. *conclus. num.* 4. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *& quæst.* 13. *de malo*, *art.* 4. *ad* 14. Covarr. qui præcitatos citat *resol.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. Huic instantiæ, faciam satis in responsione ad secundum argumentum, quam iam iam aggredior.

46 Secundum argumentum totas vires suas sumit ex communi doctrina moræ, quam passuros esse timent contrahentes cum Præfecto, & summis querelis vociferantur. Et quidem stando iuri communi, & de particulari debitore loquendo, certum est debitorem debere solvere omne damnum ex ipsius morà superveniens, iuxta *regul. Mora*, 25. *de regul. iur. in* 6. Covarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 4. *num.* 5. *& Gloss. in cap. Conquestus*, *verb. De feudo*, *de vsur.* ex Theolog. Rebel. *dict. lib.* 8. *quæst.* 5. Soto, D. Thom. *in quæst. disp. quæst.* 13. *de malo*, *art.* 4. *ad* 14. ibi: *Ex quo non redditur sibi pecunia statuto termino; & in hoc casu ille, qui mutuum accepit, tenetur ad interesse.*

47 Quod non adeò rigidè intelligendum est, vt sępè non leniatur. Nam vel talis mora fit in venditione rei, ex qua fructus percipit emptor, vel rei non fructificantis. In primo casu non venit considerandum in pœnam moræ, interesse lucri cessantis, damnivè emergentis, sed ipsa fructuum perceptio, vt eleganter *lex Curabit*, *Cod. de action. empt.* & ad expositionem tenet Covarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 4. *à num.* 2. sive plus, sive minus æstimetur, *leg. vlt. Cod. de peric. & comm. rei vendit.* ibi: *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, vsuras dumtaxat præstabit, non omne omninò, quod venditor morà non facta consequi potuit, veluti si negociatur fuit, &* pre-

pretio soluto ex mercibus, plusquam ex vsuris quærere potuit. Vbi vsura pro fructuum perceptione vsurpatur.

48 Hoc in casu rei scilicet venditæ fructificantis, fructus venditori debentur post moram, quãquam cum pretio debito, si solutum suo tempore fuisset, nihil venditor fuisset lucraturus, aut lucrari non esset solitus, *dict. leg. Curabit, leg. Si sterilis, §. Cum per venditorem, ff. de action. empt.* Covarr. *dict. loco ex num. 2.* Et ratio est, quia illi fructus non ratione lucri, nec damni præstantur, sed ob iustitiam commutativam, quæ dictat emptorem fruentem re, cuius pretium nondum solvit, à morâ factâ fructus talis rei perdere, & non lucrari, & sic intelliguntur textus *in dict. leg. Curabit, 5. & leg. Iulianus, 13. §. Veniunt, 20. eod. tit. de act. empt.* in confirmationem adducti.

49 Si autem res, quę vendita fuit, si fructuosa non sit, in hoc casu post moram tenetur emptor ad interesse lucri cessantis, & damni emergentis, *leg. 2. §. fin.* ibi: *Vel pœna commissa mora tua, ff. de eo quod cert. loc. dict. leg. Si commissa, 13. ff. rem ratam hab.* Nam cum ex defectu contra iustitiam oriatur obligatio resarciẽdi damna inde secuta, illaque mora sit peccatum contra iustitiam, vt omnes tenent ex ipsa natura contractùs, inde est, quod omne damnum resarciendum veniat, scilicet damnum emergens, aut lucrum cessans, sic D. Thom. 2. 2. *quæst. 62. articul. 4. & in quæst. disp. quæst. 13. de malo.*

50 Doctrina autem communis de emptore moroso adaptari Prefecto Annonæ non potest, quia ille moram nunquam facit, cum nunquam debeat creditò emere, quia sem-

per iubetur emere ad numeratum, sic iubetur *in leg.54. tit.16. lib.9. Novæ Recopil. Indiar.* Sic mihi iubetur in meo titulo; ideoque in omnibus instrumentis, tàm in convẽtionibus coram Tabellione, quàm in alijs instrumentis, semper appono, *à pagar de contado*, ad numeratum, ita hoc facere iubet Rex. Si moræ committuntur ab alijs committuntur. Plùs non possum dicere. Qui potest capere, capiat. Facilis est investigatio huius veritatis. Quis, & à quibus debeat hoc inquirere, & super hoc vigilare, omnes novimus. Ad Præfectum vlterior investigatio non pertinet.

51 Hic à Doctoribus exagitari solet, quæ quantitas videatur iusta in casu moræ, vel pro damnò emergente, vel pro lucrò cessante? Quoad Præfectum attinet, missam penitus facere quæstionem possem, cum Præfectus nunquam in solvendo moram faciat, nec facere possit. Pro alijs respondeo cum Gonçal. *ad dict. cap. In Ciuitate*, 6. *de vsur. numer.* 6. quinque, vel septem pro centum esse videri quantitatem iustam, eò quod in illo commercio Peruano hoc sit pretium quasi taxatum, & consuetum iuxta morem Regionis, & pretium taxatum, & consuetum sit iustum iuxta Carlev. *tom.* 2. *de iudic. tit.*3. *disput.* 8. *sect.*5. *per totam.* Ratio est, quia hoc interesse, & in aperto mutuo licitum est: ergo & in palliato erit, Molin. *disput.*355. *num.*4. Salas *de emption. dub.* 41. *num.* 4. Gasp. Rodrig. *de annu. redit. lib.* 3. *quæst.*7. *num.* 34. Covarr. *lib.* 2. *variar. cap.*3. *num.*7. vide Rebel. late de hoc tractantem, *lib.* 8. *de vsur. quæst.*6. & D.Thom. 2.2. *quæst.*62. *art.*4.

52 Húc etiam spectat alia

alia quæſtio, quam ad explicationem dict. regulæ *mora*, ſuſcitat Dinus Muxilan. *num.* 5. An ſcilicet intereſſe debitum venditori ob moram emptoris debeatur, vel peti debeat per libellum iure actionis, an Iudex teneatur ratione Officij emptorē condemnare? Alij videant. Nihil ad Pręfectum. Qualiquali modo reſolvatur, vel debeatur, vel peti debeat, immunem ſervat Præfectum; cum ſemper inquirendum veniat, poſtquam mora commiſſa fuit, & non antea, cum ſolum prævidetur mora poſsibilis; & cum Præfectus (vt dixi) non remaneat iudex ad Regiam conſcientiam exonerandam, poſtquam moram commiſſam eſſe viderit, inde eſt, quod ſolum faciat ad Præfecturam inſcriptio quæſtionis, non autem deciſsio.

53 Oppones. Inferentes damnum tenentur ad id reſarciendum, ſecundum omnes Theologos, & Canoniſtas; ſed Præfectus extrahendo merces damnum intulit: ergo ad id reſarciendum tenetur. Minor probatur, quia ſi non extraxiſſet merces, venditor nec moram, nec damnum pateretur.

54 Reſpondeo cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 4. concedendo maiorem, quæ adeò eſt vera; & qui damnum intulit, adeò tenetur reſarcire illud, vt teneatur in foro conſcientiæ quamvis non exigatur à damnum patiente, ſic Rebel. *d. quæſt.* 5. *num.* 4. *lib.* 8. eſt enim punctum reſtitutionis. Nego tamen minorem, Pręfectum ſcilicet eſſe authorem illius damni moroſi; nam ipſe ſtatim mandatum ſolvendi cum ipſo inſtrumento conficit ad numeratam ſolutionem: quomodo ergo poteſt Pręfecto talis mora imputari?

Ro-

55 Roboratur *ex leg.* 133. §. *Vnicuique, ff. de regul. iur.* ibi: *Vnicuique sua mora nocet*; ergo cum mora, de qua loquimur, non sit propria Præfecti, ei in conscientia nocere non potest. Quod adeo verum est, vt in duobus reis promittendi, mora vnius non noceat alteri, etsi socio *leg. Mora*, §. *fin. ff. de vsur.* Corroboratur, quia nullum ius patitur aliquē teneri, nec in externo, nec in interno foro pro eo actu, qui per eum non stetit.

56 Minus obstat probatio illa minoris. Si Præfectus nō extraxisset merces, venditor passus non fuisset damnum: ergo est causa damni. Mala consequentia. Præfectus ratione sui Officij habet facultatem auferendi, & extrahendi merces Regi, vel Clasi Regiæ necessarias à quocumque possessore; & quod ratione Officij fit, iniuria non est, *leg. Nullus*, 55. *ff. de regul. iur.* Adeoque verum est moram hanc secutam Præfecto non esse imputandam, vt quamquam ex proposito, & ex mala voluntate Præfectus contra aliquem potius, quam contra alium exerceret illam facultatem extrahendi merces, vel ab illo extraheret merces Regi non necessarias, tamen damnum moræ, quod postea sequeretur, non esset Præfecto imputandum, estò quod alia ratione, vel rationibus, seu iræ, seu malæ voluntatis, seu non necessitatis peccaret.

57 Instabis. Posset saltim Præfectus tempore conventionis pretij aliquo pacto præcavere moram illam, quæ non imprudenter timetur, aliquamque conditionem venditori favorabilem apponere in illo casu moræ exequendam. Respondeo, nec illud Præfectum posse; Sphæra enim, & terminus iurisdictionis Præ-

Præfecti est tempus conventionis cum venditore ad pretium iustum numeratum. Finita illa conventione, & tempore illius, manet sine iurisdictione super actiones futuras Regis, non manet iudex: ergo non potest conditiones, seu mulctas imponere Regi propter moram futuram, quam tempore conventionis pretij non commisserat.

58 Insuper esset ignorantia, & audacia Præfecti Regem pro illo casu moræ futuræ condemnare; quod solido fundamento probo. Rex potest in debitis particularibus moratoriam concedere debitori particulari: ergo ipsi sibi poterit similem moratoriam concedere. Consequentia constat, quia quod Princeps, vel Prælatus potest facere cum subditis, potest sibi ipsi facere, ex vulgatis, & Balmased. *de collect. quæst.* 2. *num.* 24. Antecedens est notorium, & à nemine negatur. Quomodo ergo posset à Præfecto imponi pœna pro mora, quam Rex dispensaret? Illa pœna esset irrisoria, vtpotè quæ semper eluderetur pœnæ enim eiusmodi, quę ad compescendum defectus contrahentium tendunt, ineluctabiles debent esse. Esset etiam audacia pœnam imponere Regi, vel Proregi in casu, quo moram in solvendo committerent cum inferior pęnam Superiori nequeat imponere, nec præsentem, nec futuram, nec conditionatam pro defectu possibili.

59 Vellem certè meos venditores solari, sua debita assecurare, eis consulere. Suæ querelæ summo dolore me afficiunt, & vexant, vtpotè contrahentem cum ipsis. In me (licet immeritò) querelas suas tendunt. In effectu etiam multa ex his moris Præfectus patitur, recusant

ſant omnes Præfecto vendere, abſcondunt merces, pretia extollunt, dolos cavillantur, merces adulterant, &c. Vellem eos iuvare. Nihil tamen (ò venditores amici) pro vobis in his ſcriptis certi remedij poſſum relinquere. Si poteſtis petere intereſſe pro mora commiſſa ex Doctorum opinione (pro quo videatis Balmaſed. *de collect. quæſt. 2. num. 21.*) veſtro iure vtimini, non ſolventem conſtringite, & in axietate ponite. Cognoſcatur, quis à ſua obligatione cadit. Puniatur, qui deficit, & non inferatur iniuſtitia, & iniuſta mora creditori legitimo, qui Regi vendidit.

60 Hoc vnum ſciatis hanc mercium ſolutionem primum locum obtinere, tàm in Regio Fiſco, quàm in communi iure, vide Eſcalon. *in ſuo Gazophilaz, lib. 1. part. 2. cap. 10. num. 13.* ibi: *Prefiriendo al que huviere preſtado plata al Rey para reparo de ſus neceſsidades.* Et reddit rationem: *Porque eſte haze ſalva la cauſa del Fiſco; y tras eſte, los demàs acreedores de ſalarios, y mercedes, &c.* Maximè cum ſolutio dilata mutuum intelligatur ſecundum Doctorem, & num. 16. *Pagando puntualmente, &c.*

61 Ex iure communi, *leg. 5. & 6. ff. qui potiores*: vbi cum *in leg. 5.* Vlpianus affirmaſſet poſteriorem debitorem aliquando eſſe priorem, *in fine, leg. 6.* hæc verba ſubnectit. *Tantumdem dicetur, & ſi merces horreorum, vel areæ, vel vectura iumentorum debetur; nam & hic potentior erit.* Vnde merito Eſcalon. *dict. num. 16. Y adquiere el librarſe de vn vinculo gravoſo y ſe de la obligacion de pagar intereſſes de la paga retardada, que ſi no el Rey, en tal caſo, los deberàn en conciencia ſus Oficiales. Y ſiendo eſta ma-*

materia de tanto escrupulo, veo que no la reparan, ni atienden algunos de estos Ministros, pudiendo, à la poca costa de vn puntual cumplimiento, y mera execucion de su cargo, leg. 12. *tit.* 14. *lib.*2. *Nov. Recop.* Solorç. *de Indiar. Gubern. lib.*5. *cap.* 1. *num.* 129.

62 Ad secundam confirmationem secundi argumenti respondeo illas leges nihil nobis obstare; loquuntur enim, & locum habent, quando debitor statuto tempore debebat solvere; quo transacto, & si solvat, minus solvit, ideoque datur locus ad interesse damni emergentis, & lucri cessantis, sic Gonçal. *ad textum in cap.* 6. *de vsur. num.* 6. Nos autem loquimur, quando solum ex timore probabili possibilis futuræ retardationis solutionis vult venditor pretium augeri propter gratiam, quam facit in venditione creditò celebratà. Cumque ex gratuito nil solvendum veniat, inde est, quod quando solvatur, quamvis non tam promptè solvatur, non tamen solvatur minus, sed idem.

63 Ad tertium argumentum respondeo cum Rebel. *lib.* 9. *quæst.* 12. *numer.* 14. negando illam propositionem absolute intellectam, scilicet: *Minus pretij valere centum cum periculo illa amittendi, quam ipsa centum citrà periculum.* Explico. Primò, quia ista Medinæ opinio solum habere locum potest in debitore paupere, & (vt Legistæ vocant) quasi fallito, *fallido*, non in debitore Rege: ergo illa opinio nostro casui adaptari nequit, cum debita huius Præfecturæ nunquam insoluta maneant, nec Proregum vicissitudine vnquam fuerunt passa periculum, omnia solvuntur. Quà propter ærarium Regium semper est, & vocatur à legi-

bus debitor idoneus, *leg.* 2. *de fundo dotali*, ibi: *Quamvis Fiscus semper idoneus est.* Perpetuum, & indeficiens vocatur ab Escalon. *lib.* 1. *cap.* 26. *numer.* 1.

64 Secundò. Verum est omnes creditores semper diffidere de debitis, quæ periculum continet, & ideo assecurationem petere per pignora, vel fideiussores; hoc tamen non est, quia valent minus; idem enim valent, sed quià idem assecuratum desiderant. Vel si adhuc velis dicere debitum non assecuratum minus valere, quam assecuratum, tecum sentiam, ne quæstionem de nomine habeamus: *Minus valet* (dicam) dummodo velimus dicere: *non est debitum assecuratum: assecuratio deest illi: defectus assecurationis est istud minus, quod habet.* Si vero vêlis extorquere ab ipso debitore plus pretij de præsenti propter illud periculum, tunc est falsum minus valere; illicitumque est quod petere intendis. V. gr. illicitè peteres centum aureos pro re valente nonaginta, ex eo solum, quod centum aurei subsint periculo. Pete assecurationem, quam potes petere, non pretium, quod non potes. Minus valet assecurationis, non pretij. Hoc exemplum est casus noster. Applica.

65 Quid si quando mutuasti, vel vendidisti rem, assecurationem, vel fideiussionem noluisti? Nunquid poteris pro illo defectu assecurationis plus pretij petere? Minimè. Suprà gratiam, quam mutuans fecisti, hanc secundam gratiam non assecurationis fecisti: idem in venditione, suprà primam gratiam, quam fecisti creditò vendens, hanc secundam non petendi assecurationem fecisti. Sed cum nulla gratia sit vendibilis,

nulla

nulla ex eis à te poteſt pretio apretiari. Mutuans non tenetur ad mutuum præſtandum, nec venditor ad gratiam emptori faciendam: ex ſuppoſitione tamen, quod gratiam faciant, tenentur ad gratis eam faciendam, & ad non vendendam gratiam: Aliter gratiæ iniuria fit; nam ſi gratia pro pretio datur, vel pretium pro gratia exigitur, gratia non gratia, ſed merx erit, iuxta illud Apoſtoli *ad Rom.* 11. ibi: *Si autem gratia; iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia.*

66 Idem in noſtris terminis: Qui vendunt Regi, aſſecurationem non petunt, gratiam in hoc Regi faciunt. Cur ergo propter iſtam gratiam pretium de præſenti petunt id in pretio mercis imbibendo? Gratiam vendunt. Gratiam mercem faciunt. Vſuram committunt. Illicitum eſt eis.

67 Ad confirmationem reſpondeo cum Rebel. dando differentiam inter aſſecurationem, ſeu fideiuſsionem, & mutuum, tàm formale, quàm virtuale. Aſſecuratio, ſeu fideiuſsio ſunt obligationes de iuſtitia, quæ pretio æſtimabiles ſunt. Obligatur fideiuſſor ex iuſtitia: & hæc rigoroſa obligatio eſt recompenſatione digna, creſcitque ex circunſtantijs maioris, vel minoris periculi. At vero mutuatio, vel venditio creditò facta, quæ eſt virtualis mutuatio vnum ex duobus petit; vel non fieri, cum ad eas faciendas non teneatur mutuans, nec venditor, non enim inducit illam obligationem de iuſtitia in creditore, quam inducit fideiuſſio in fideiubente; vel ſi fiat, gratis debere fieri, iuxta illud Lucæ 6. 35. *Et mutuum date, nihil inde ſperantes.*

68 Quartum argu-

mentum non obstat, licet non levis ponderis appareat. Dependet ex illa celebri quæstione: vtrum expensę, labores, & sumptus, quos creditor, aut venditor in recuperando debito sustinet, debeant solvi à debitore, vtpotè causà illius effectus, seu sumptùs? In ea non immoror, vt à Præfectura aliena; vsque huc enim Præfectura non fuit vnquam causa expensarum, & sumptuum in recuperando debita. Sed quia aliquomodo ad nostrum scopum spectat. Dico: istam in hoc puncto esse Theologorum mentem, posse scilicet præcaveri damna, labores, & sumptus medijs pactis accipiendo pignora, petendo assecurationem, vel fideiussorem, pœnas imponendo, paciscendo, & obligando debitorem, vt quæ damna emerserint, labores, vel sumptus, ab ipso debitore solvi debeant. Nullo autem modo, nec motivo posse pretium augeri antequam expensæ, labores, & sumptus causentur, & iustificentur.

69 Prima pars à Rebel. *lib.9.quæst.12.num.6.* supponitur certa. Probaturque ex eo, quod vnusquisque potest, & debet se indemnem servare per remedia iuris ad id introducta. Ita omnes Theologi; sed hæc sunt iuris remedia introducta ad contractuum securitatem, vt in comperto est, ergo eis venditor potest se indemnem tueri: ergo potest pacisci de damnis imminentibus, quæ timet, laboribus, expensis, sumptibus.

70 Secunda pars est Conradi *de contract. quæst.* 59. Soto *lib.* 2. *quæst.* 4. *art.* 1. S. Antonini 2. *part. tit.* 1. *cap.* 8. §. 2. Lopio *lib.* 1. *de contract. cap.* 37. *conclus.* 4. Garcia, & Reb. *dict. loco.* Quod autem re-

recompensationis titulo non possit emptor pretium augere, relictis rationibus Rebel. quę solum militant in emptore particulari, probari potest ex eo, quod de morà dictum habeo, quia licet in pactum possit deduci, quod non est, quia solum timetur; at non potest, vt certum determinari, quod nondum evênit, & est in statu possibilitat is, cum *non entis nullæ sint qualitates*; sed expensæ, labores, & damna, quæ solum timentur, nondum evenerunt, sunt in solo statu possibilitatis, & possunt esse, & non esse: ergo nequeunt pro certis determinari: tunc sic. Ad hoc vt aliquod pretium pretio rei aggregari possit, debet prius determinari, vt certum; sed expensæ possibiles non possunt determinari tanquam pretium certum: ergo non possunt aggregari pretio rei.

71 Vt cognoscatur evidentia huius rationis, instauro rationem, quam alibi tetigi. Quid fieret (interrogo) si expensæ, quia timentur, deducantur in pretij augmento, & postea non fiant? (nam quod timetur, potest esse, & non esse) quà conscientià solveretur illud pretium expensarum adauctum pretio rei? Et licet Conradus in ea sit sententia, vt quando dicti timores prætextu, scilicet expensarum, aliquid in pretio augetur, quamvis nihil illius, quod timetur, accidat, bene possit solvi, & restitutioni non subsit; improbatur ab omnibus, vide Rebel. *quæst.* 12. *num.* 5. & bene improbatur. Nam illud pretium, quod augetur pretio iusto summo rei quo iure à venditore possidebitur? Non ratione iusti pretij, cum iustum supremum pretium sit ante augmentum illud, vt supponimus. Ratione conventionis? Mini-

nime, quia talis conventio posita fuit propter causam, causa non fuit posita: ergo nec conventio effectum sortiri potest, quia non positâ causâ propter quam, nequit effectum sortiri actus celebratus propter illam causam.

72 Ideo aliqui arbitrati sunt posse expensas deduci suprà pretium declarando, quod si non fiant, non solvantur. Terminos quæstionis nostræ transiliunt isti: Quod quęrimus, est: an pretium expensarum, quæ timentur, posit poni intra pretium rei? Non suprà, imbibitum occultè, & absolutè, non additum publicè, & conditionatè. Cumque hic expensarum conditionatus modus non posit practicari in instrumentis à Præfecto conficiendis propter superius dicta, hoc arbitrium ridiculum est.

73 Præterquam, quod expensæ quas faciunt, & patiuntur creditores pro suo recuperando, sunt iniustæ, & Regi ignotæ. Hoc vnum non possum non dicere, illud solvendi mandatum, quod Proregis decreto à Regijs Officialibus fieri iubetur suprà primum solvendi mãdatum à Prefecto factum, & aliquando ad id sufficiens, esse expensam iniustam nullo colore prætextabilem. Ad quid hoc secundum solvendi mandatum? Hæc nova expensa? Hæc occasio ministris inferioribus data extorquendi à creditore partem debiti in pretium mandati?

74 Si Prorex non vult omnia debita antiqua Præfecturæ solvere (vt velle debuisset) sed solum istud novum debitum de quo loquimur, arbitrium illi ego ipse dabo, quin novas expensas isti creditori causet. Iubeat apponi statim illam solam quantitatem apud Quæstorem,

Pa-

Pagador, vt cum illà ſolvat inſtrumentum, ſeu mandatum de ſolvendo, quod iam habet venditor à Pręfecto confectum. Excuſetque illud ſecundum mandatum de ſolvendo, quod iubet fieri ab Officialibus Regis, contra Regaliâm Præfecti, cuius mandatum ſolum ſufficit, vt Quæſtor omnia inſtrumēta, & debita ſolvat. Hoc eſt certum, in Officio Quęſtoris, nec levem partem pretij diminui expenſatum titulo; at quando per multas manus Officialium præcipuè inferiorum negotium currit, audimus querelas creditorum publicas de eo, quod illis ex debito principali aufertur titulo emolumentorum, pluſquam ratio, & iuſtitia poſtulat. Iſtique miniſtri inferiores faciunt verum, quod ait Illuſtr. Villarroel *in lib. Iudicum, cap.7. verſ. 6. pag.* 240. *A Miniſtris Regij ærarij ferè nunquam integram ſolutionem fieri*, quod tradit Eſcalon. *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *in Gloſſ. litt. DD.* qui etiam tradit aliud Raudenſis *conſ.* 50. *In quoſdam Fiſcales, qui nocent Regi, dum prodeſſe putant, idem deciſ.* 44. *à numer.* 21.

75 Ad confirmationem primam reſpondeo verum eſſe, debere vnumquemque ſe indemnem ſervare, vt ex communi Theologorum pro certo affirmamus; verum hoc fieri debere ſecundum iuris regulas, non contra eas; nam tunc potiùs damnaretur, quam indemnis ſervaretur. Et ſecundùm iuris regulas eſt deducere expenſas paciſcendo, repræſentando, petendo vbi peti debeat, vt Rex, & leges dictant, ſic Rebel. *numer.6. in fin.* Contra iuris vero regulas eſt, præcavere expenſas poſsibiles, quæ poſſunt non eſſe, nec fieri, imbibendo eas in pretio certo, & actuali ſummo rei venditæ.

Non

76 Non etiam obstant illæ leges ibi adductæ ex quibus deducitur contrahentes posse se invicem decipere: ergo vẽditor potest carius vendere propter dilatam solutionem. Respondeo primo cum Gonçal. *ad dict. cap.6. de vsur.* hoc procedere, quando intra metas, & leges ipsius contractus deceptio contingit, non vero vbi celebratur vnus contractus, & alius simulatur, quæ est præsens quæstio, vbi illud augmentum pretij exigitur simulatè, tanquam procedens ex venditione, cum tamen non procedat nisi ex mutuo, hoc est ex venditione creditò facta. En foris venditio, intùs mutuum. Non licet in his se invicem homines decipere.

77 Explico secundo, licet hominibus se invicem decipere; sed sine dolo, *leg. In causæ, 16. §. Idem, 4. ff. de minor. leg. Item si pretio, 22. §. vlt. ff. locati*, vel vt Faber *in sua Iurisprud. tit. 2. princ. 2. ex suo Manut.* licet se invicem decipere re ipsa; non vero deceptione ex proposito facta. Cumque in augmento pretij vltra supremum numeratum detur dolus, & peccatum, vt dictum habemus, sitque deceptio ex proposito, & iniqua, inde est, quod quanquam aliàs possint contrahentes se invicem decipere, non tamen hac deceptione in iure non permissà, sic Gonçal. *ad dict. cap.3. de empt.*

78 Tertiò. Alij dicunt posse se invicem contrahentes decipere intra iustum pretium, vt venditor possit decipere emptorem vsque ad supremum. Emptor venditorem vsque ad infimum. Si verò deceptio emptori fiat vltra supremum, & venditori infra infimum, non sit deceptio licita; cui consonat D. Thom. 2. 2.

quæst.

quæst. 77. *art.* 1. *ad* 1. ibi: *Quod ideo dico; quia iustum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit; ita quod modica additio, vel minutio non videtur tollere æqualitatem iustitiæ.* Affirmatque Angelicus Doctor legem humanam quasi tacitam hanc deceptionem contrahentium, habere: eam tamen ita distinguit: lex humana habet hanc deceptionem, quia eam approbat, nego; quia eam non punit, concedo. Et reddit rationem: quia cum lex humana non solum virtuosis, sed vniverso populo detur, in quo multi sunt à virtute deficientes, non prohibet omne, quod est contra virtutem, sed sufficit destruere abusus hominum notoriè culpabiles.

79 Ad quintum argumentum, quod hoc punctum expensarum fortius stringit, & ex querelis venditorum conficitur, vt respondeam. Suppono, illum, qui propter antelationem disponendam, vel propter interpositionem ad solutionem, vel propter ipsam solutionem faciendam, aliquid accipit à venditore, seu creditore, cuius interest, furtum committere restitutione dignum, cum opera iustitiæ commutativæ venialia non sint; adeo, vt si non restituat, incapax sit æternæ gloriæ, cum non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum ex D. August. *epist.* 54. *cap. Ad Macedon.* 14. *quæst.* 6. *relatum in reg. Peccatum in* 6. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2.

80 Dices, illam esse donationem. Dico esse vexationem. Facili regulà vtuntur Theologi, & Canonistæ ad hoc cognoscendum, vt ait Vazquez, quæ est hæc: Si creditor offerens pro sua pecunia assecuranda non pateretur

vexationem, quam ego ſuppono, faceret eamdem donationem, nec ne? Neutiquam faceret, reſpondent vno ore omnes; ergo illam involuntariè facit. Eſt conſequentia evidens; ſed quod involuntariè alicui præſtatur, ab ipſo aufertur, ſeu ablatum ab eo intelligitur, Rebel. *lib.* 18. *quæſt.* 20. qui Medinam, Sotum, & Navarr. citat, & ex noſtris Panormit. & Covarr. ergo quod prǣſtatur pro antelatione, interpoſitione, ſolutione, &c. aufertur ab interpoſito, ſeu ablatum ab eo intelligitur.

81 Sed quid diſcurſibus ad convincendum illud eſſe furtum, indigemus? Ipſi venditores, ſeu creditores paſsim vociferantur, & contrectationem occultam, quia iniquam, Deo permittente, publicam faciunt. Faxit Deus, vt delicta privata in remedia publica terminentur! Iſti ſe interponentes ad facilitandam ſolutionem, quærunt ipſos venditores, ſeu creditores (ipſi creditores teſtantur) promittunt mandatum de ſolvendo, vel ipſam ſolutionem, ſed paciſcuntur, vt illis relinquant ob ſuum laborem, vel ſuā induſtriam titulo donationis, vel tertiam partem debiti, vel dimidiam, vel ad minus, triginta pro centum. Si hoc eſt verum, iſte creditor (interrogo) eſt liber, an invitus? Eſt donans, an vexatus? Ille alius eſt donatarius, an latro, aut raptor?

82 Quid dicendum, ſi creditor videat ratione illius à sè non admiſsi colloquij iniuſti, ſuum inſtrumentum manere inſolutum, & retardatum, alijs poſterioribus inſtrumentis promptè expeditis, forte quia ipſe renuit, & annuerunt alij? Vbi eſt libertas, vt tale donum voluntarium dicatur? Furtum vocatur. Pro certiſsimo

mo tenendum, omne solutum à taliter vexatis esse involuntariè solutum, recipentemque interpositum industrium furtum committere, quod restitutione indiget, sic Rebel. in terminis nostrę conclusionis *dict. lib.* 18. *quæst.* 20 *num.* 9. qui Navarr. citat, *& Extravag. Greg.* 13. *de datis, & accept.* Iniqui homines, qui pauperes depredantur. Infelices summe!

83 Hoc supposito, quintum argumentum, vt video, desiderat Præfectum ad hoc furtum cooperari, dum desiderat illam quantitatem designatam furto, imbibi in pretio rei emptræ, quod legitimè Rex debet. Firmissimo calamo semel, & millies dicam non debere Præfectum ad hoc cooperari, nec pretium suprà supremum iustum augere. Vrgeo sic. Vel illud, quod præstatur cuilibet ex his interpositis, est voluntarium, vel involuntarium? Si voluntarium, cur extorquetur? Cum omnis donatio liberalitatem cõtineat, & ex suo intrinseco conceptu munificentiam importet ex titulis de donationibus, cum donare, perdere voluntarium sit, *leg. Filius familias, ff. de donat.* Si involuntarium (quod certissimum est) qua ratione amice venditor expectabis à Præfecto Annonæ in pretij augmento iniusto illud donum involuntarium resarciri, imbibi, vel includi?

84 Hoc est petere, vt pro sublevanda tuà vexatione tibi facta tui interpositi amici furto, Præfectus aliud furtum Regi faciat, restitutionique obnoxij vterque tu, & ego Regiæ maneamus sicut ille interpositus manet tibi. Non enim tantum, qui aliena rapuit, ad restitutionem tenetur, sed qui acceptionis iniustæ causa

fuit, quamvis ipse eam non acceperit, iuxta illud Apost. *ad Rom.* 1. *Digni sunt morte, & non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Ex quo D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. deducit: ergo pari ratione etiam consentientes debent restituere.

85 Et hoc furtum (vt serio dictis aliquid facetum adiungam) Præfecto summe invtile, ridiculum, & inexcusabile esset. Alia furta sunt vtilia, & oculis mundi aliquomodo excusabilia. Istud autem nec in interno, nec in externo foro, seu (vt ita dicam) nec à Deo, nec à diabolo excusatione dignum esset. A Deo, & foro interno, vt patet. A diabolo, seu foro externo, quia nullum in eo lucrum acquirit. Iam ille interpositus amicus, qui à venditore propter illam solutionem aliquid accepit, aut rapuit, aliquid tandem de novo acquisivit, deserviens fastui, & ornatui corporis, licet non animæ. Verum Præfectus absque iustitiâ commutativâ augendo illud pretium, & gravando Regem, nil lucri consequeretur ornatui deserviens. Corpus, & anima inornata manerent. Certè, nec à diabolo maneret excusandus.

86 Hoc summâ diligentia advertere meum Præfectum velim. Venditorem, nempè, desiderantem illud augmentum pretij vltra supremum iustum, forte invenisse Theologiam; & opinionem pro eo licitè faciendo, & rectificatâ (saltim suo iudicio) conscientiâ forte in hoc negotio incedere. Sunt Theologi latissimi. Forte inquam, quasi iustum desiderat illud augmentum pretij vltra summum iustum, vt ex eo deducat tale donum involuntarium (imme-

mediatè dictum) illi irreparabile visum, & vt intrinsecum mercis suæ pretium apud se integrum maneat. Forte reputat, iustè se remanere cum actione ad recuperandum extractum titulo compensationis ab ipso Rege propter Ministrorum malitiam. Vidit forte Vazquesium *de restitut. cap. 6.* §. 3. *dub.* 3. qui magnas portas aperit, & citat pro eis Silvestrum. Et (quod magis est) ei concedit talem compensationem, quamvis tributum sit iustum, idque Rex locatum habeat Publicanis, *num.* 31. Ex quibus opinionibus latissimis, alias consequentias etiam latissimas venditor fortè pro se deducet, & si pro se invenerit opinionem, vt habeat compensationem ad deducendum illud donum involuntarium de quo suprà, multò melius in ipsa re, in qua læsus, aut damnificatus invenitur.

87 Quapropter meis consilijs acquiesce. Nullo modo venditori credas. Crede omnes venditores te velle decipire, esse fallaces, & si aliàs omni veracitate pollere credas, & scias. Ne credas illis obsecro, quamvis tibi venditor affirmet iustum pretium esse illud, quod exigit; quamvis in suo venditionum libro ostendat tibi aliquas partitas venditionum ab ipso celebratarum illo pretio, iuxta illud D. Augustin. *super illud Psalm.* 70. quoniam non cognovi litteraturam subnectentis: *Negotiator avidus acquirendi pro damno blasphemat, & pro pretijs rerum mentitur, & peierat.* Crede experto. Hoc mihi quotidie accidit, & homines aliàs veridicos in contractibus mẽdaces inveni. Quærere ab alijs summà diligentià debes pretia iusta supremè mercium, vt ab eis nulla ratione excedas. Particula-

lari, & occulta trutina tibi opus est, vt conscientià tranquilla maneat, tuum munus non transilias, & servitium Regis openeris.

88 Applica tibi (ò Præfecte) proloquium de quo suprà *vnusquisque debet se indemnem servare*. Et licet (dato, & non concesso) quod venditores possent tutà conscientià pretium auctum recipere vltra rigorosum, & supremum numeratum, mentiendo, vt posit deducere illa dona involuntaria pro suo debito percipiendo, & in hoc se indemnem servare reputet venditor. Tu tamen, ò Præfecte, non te indemnem, sed damnatum servas, augendo in favorem venditoris, vt furto cooperetis, & subvenias; cum tu non sis pars, quæ iustitiam compensationis saltim in aliquorum opinione habeas, vt te indemnem serves. Ergo ex hoc capite huius argumenti pretium nullatenus potest augeri, manetque hoc firmum.

89 Sextum argumentum fundatur in ratione coactionis hoc modo confectum. Qui vendit coactus, potest petere suprà summum iustum; qui Præfecto vendit, plerumque vendit coactus: ergo potest petere suprà summum iustum. Respondeo. Disting. maiorem, potest petere correspondens interesse ad lucrum, quod illi cessat, seu damnum, quod illi emergit, concedo: potest petere tanquam pretium intrinsecum rei, nego.

90 De coacto à Rege, distinguit alio modo maiorem Rebel. *d. quæst.* 5. *num.* 3. Potest deducere interesse coactus coactione iusta, negat; coactione iniusta concedit, Balmased. vero *de collect. quæst.* 2. *num.* 2. affirmat in omni coactione, tàm iusta, quàm iniusta, dummo-

modo intereſſe ſit moderatum, & citat pro ſua opinione Novar. *de gravam. vaſſall. gravam.* 21. *à num.* 5. & Klochium *de ærario Fiſc. lib.* 2. *cap.* 23. quod & ipſe confirmat ex praxi obſervatà à noſtris Regibus, quando argentum ex Nova Hiſpania venire ſolitum in mutuum ad tempus capiunt; nam tunc intereſſe ſolvunt, ſed hoc in pecunia captà non in mercibus.

91 Summum opus aggrederer, ſi iniuſtitiam coactionis velim ſcrutari: delicatiori calamo opus eſſet, ſi alicuius interſit, adeat Delb. *de comit. tr.* 6. *dub.* 10. Breviter pro nunc me expedio dicendo Vaſſallos debere credere Regi, vel Proregi dicenti Regem eſſe in paupertate, & non habere ad ſubveniendum illi neceſsitati, Delb. *d. tract.* 6. *dub.* 2, *num.* 4. *fol. mihi,* 36.

92 Nunc ad minorem ſyllogiſmi: ſed qui Præfecto vendit, coactus ſæpè vendit. Nego minorem. Explicatione opus eſt. Non omnis, qui dicit ſe vendere coactum coactus vendit. Diſtinguendum eſt. Vel venditor habet merces publicè poſitas ad vendendum eas, vel non? Si habet eas publico expoſitas, etſi quando à Præfecto quæruntur, dicat ſe nolle vendere, non eſt coactus, nec doctrina, Rebel. in argumento poſita ei favere poterit. Videndus omnino Covarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 14. ad explicationem *leg. Invitum, ff. de contrah. empt.* Ideoque pretium ratione coactionis nequit augeri abſque vſurà, Navarr. *in Sum. cap.* 17. & Reb. licet tanquam fures tractet cogentes ad vendendum, vel mutuandum.

93 Liceat exclamare. Adeo infelix currit Gaza Regia, vt omnes coacti videantur, adhuc publicè vendentes, oſtia clau-

claudant, & malint vendere particularibus, qui passim bonis cedunt ad Ecclesiam confugientes, quam Regi, & suis Ministris, qui nunquam falliti existunt, vt suprà dixi *numer.* 63. O Regia Gaza plus exhausta his incommodis, quam Annonis tuę Classis! Si præpararentur tuæ dotationes, quas prudentissimè, & providentissimè destinasti tuis sumptibus, quam bene omnia fierent! Quam minori sumptu faceres, quod maiori haud imples! Quis venditor Præfectum non quæreret! Nunc Præfectus eos quærit, & non invenit, quia non præparantur dotationes Annonæ. Si præparantur, omnes petunt: si non præparantur, omnes suppetunt. Multis ab hinc annis nullum pretium à mè fit quamvis supremum iustum sit, quod placidè acceptetur à venditoribus; adeo vt magis taxare, quam convenire videar. Et (quod peius est) totum solvitur, sed malè, tardè, furtivè, & clandestinè. O tempora! O mores! Regredior.

94 Si autem merces venditor publico venum positas non habet, subdistingue. Aut eas non habet, quia eis indiget, aut quia maiores proventus sperat non statim vendendo, sed servando alio tempore venditurus. In primo casu, potest pretium augeri propter iniuriam, quà afficitur in privatione mercis, quam sibi reservatam habebat, ita Covarr. *lib.* 2. *var. cap.* 3. *num.* 4. Non ratione vsurę. Requiritur etiam, quod augmentum non sit notabile, sed tale, quod summum iustum taliter circunstantiatum non excedat. Alia enim maiora augmenta, aut interesse ad Præfectum non pertinerent, sed ad Proregem, vel aliud Tribunal, & dictum habemus, & ratio

est quia ad Præfectum solum contractus purus emptionis spectat.

95 In secundo autem casu, quando mercem servabat meliori tempore venditurus, quod vocatur dominum intrinsecum ex Rebel. *lib.* 8. *quæst.* 8. Hic venditor coactus dicitur, saltim coactione amicitię. Vt autem ex hac ratione, quia scilicet venditor non erat tunc venditurus, sed servaturus, posſit pretium augere, alia conditio requiritur à Gonçal. *ad cap.* 6. *de vsur.* & à Covarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 3. nempè debere versari dubium circa pretium, an scilicet tempore solutionis plus, minusvè illa merces valitura sit, Prob. *ex cap.* 6. *de vsuris*, Vbi cum Pontifex reprobasset emptionem mercium quinque libras valentium, promiſsis sex libris ad solutionem, adjungit: *Nisi dubium sit merces illas plus, minusvè, solutionis tempore valituras.*

96 Idem probatur *ex cap. Naviganti, vltim.* §. *Ratione, de vsur.* Vbi tria requirit. Primò. Venditionem esse creditò factam. Secundò. Quod tẽpore contractus non fuisset venditurus. Tertiò. Quod verosimiliter dubitetur vtrum plus, vel minus solutionis tempore merces fuerint valituræ. Accipe pulchra textus verba: *Ratione huius dubij* (scilicet vtrum plùs, vel minùs solutionis tempore fuerint valiturę) *etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Ergo hæc trià requiruntur, vt posſit venditor maius pretium petere.

97 Ex quo notandum venit, si tempore contractus venditor speculative

consideravit merces suas, alio futuro tempore plus valituras, si servarentur, dum tamen practicè eas servare noluerit, neque animum de servando eas habeat, non poterit ex illa consideratione speculativa carius vendere sine vsuræ formidine. Caveat Præfectus, quia hæ considerationes passim fiunt, & tanquam prætextus allegantur ad carius vendendum, sed non sufficiunt. Ne addatur summo iusto, nisi alia ratione convincatur.

98 Caietanus 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 7. non adeo exactè tres illas conditiones requirit ad hoc, vt pretium possit augeri. Quamvis enim merces non esset servaturus, secundum ipsum Caiet. potest maius pretium petere, dummodo duæ aliæ conditiones concurrant. Prima. Quod venditio creditò sit facta, & non ad numeratum. Secunda. Quod verosimiliter dubitetur vtrum, plus vel minus solutionis tempore merces valituræ sint. Covarrubias, Caietanum refutat, & bene; venditio enim quamvis creditò fiat, debet celebrari ad pretium iustum præsens, si merces venditor non esset servaturus.

99 Ad alias species, quæ pro sexto argumento tanguntur, in alijs locis huius quęstionis sufficienter responsum dedimus, & manet tota res clara.

CAP. VII.

De merce taxata.

Quæstio. *Vtrùm in emptionibus Præfecti possit augeri pretium suprà taxationem authoritate iuridicà factam?*

1 NUlla nec apparens percipitur in hoc ratio dubitandi. Factà mercium taxatione à

à Magiſtratu Civitatis, graviſsimo Capitulo, intuitu, authoritate, & brachio Proregis vallato, quis venditor audebit petere ſuprà? Differentia pretiorum omnibus forſan videbitur eſſe moleſtia, quam contractus huiuſmodi patiuntur, vel quam in his contractibus patimur. Poſtquam verò pretium taxatum eſt, quis non diceret eſſe planum iter? Præſertim cum Princeps, ſeu Magiſtratus taxans acriter invehatur ſemper contra vendentes ſuprà taxam, *leg.* 1. 2. *&* 5. *lib.* 5. *tit.* 25. *Nov. Recop.* adeò vt poſsint procedere contra eos, vtpotè contra Pacis violatores. Avēdaño, qui Aldericum citat, *de exeq. mand. cap.* 19. & Azeved. *ad leg.* 14. *tit.* 6. *lib.* 3. *Nov. Recop. num.* 18. Quod adeò verum eſt, vt peccent Iudices mortaliter, ſi ab eis tales mercatores non puniantur cōtra Rebel. *lib.* 9. *de oblig. iuſt. quæſt.* 9. *num.* 5. Quam punitionem obſervari vidi in illa Regum Civitate cum venditore, & emptore alicuius contractus, taxationem publicam iuridicam anno ſummæ frumenti caritatis infringentibus, & ſupergredientibus. Graviter fuit vterque punitus. Venditor perdidit non ſolum exceſſum, ſed & pretium tritici iuſtum; emptor, & pretium, & mulctam, vt hoc exemplo, tàm vēditores, quàm emptores prohiberentur, accuſarent, timerent, hunc dolum contra vtilitatem publicam non patrarent.

2. Hæc tranſgreſsio, incredibilis in contractibus cum Præfecto videtur ex alio capite, nempè publicitatis. Qui Præfecto vendit infringendo, & ſupergrediendo taxationē, non poteſt ſe ſilentio, & occultatione protegere, & eſſe ſecurus; emptiones enim, quas Præfectus ce-

lebrat, sunt publicæ, & authenticæ intervenientibus Visore Generali, Tabellione, qui de eis instrumentum conficit authenticum, & contrahentibus, qui conventionem subscribunt. Igitur licèt aliæ venditiones clandestinè possent fieri, & silentio contrahentium posset legis transgressio celari, non autem possunt, quas Præfectus facit, instrumentis, & testibus necessario detegentibus contrahentes negantes. Multum ergo levatur Præfecti solicitudo inveniens taxatum pretium. Neutri contrahentium quoad pretium, faciendum restabit.

3 Post hæc omnia nunquam plus vexatur Præfectus, quam quando invenit pretium taxatum. Adeò est insanabilis avaritia, vt ait Aristot. *lib.*4. *Æthic. cap.* 1. *tom.* 5. vt non obstante violatione iustitiæ, & legali pœna, omnes venditores vltra taxationem à Præfecto petunt: *Quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames*! Avaritia excęcantur, vt contra se ipsos ipsi sint, vnde D. Gregor. 14. *moral. Avaritia mentem, quam infecerit, ita gravem reddit, vt ad appetenda sublimia attolli non possit.* Si in hoc puncto infringendi taxationem iustam, punirentur cogitationes, verba, conatus, & dolus, certè omnes venditores punirentur, *leg.*1.*tit.*25. *lib.*5. *Nov. Recopil.* & ibi Azev. *num.* 18. Salas *de empti. dub.* 24. Delb. *de commit. d.* 4. *sect.* 19. *num.* 3. sed nullus punitur ex his dolosis, eo quod ad pœnam iura, & Doctores requirunt effectum secutum, cumque hic effectus infractæ taxationis nequeat subsequi, nisi Præfecto annuente illi dolo, & cooperante, non puniuntur (vt deberent puniri) hæ animositates contra iustas taxationes. Præfe-

ctus,

ctus, ne eos perdat, tacet, non potens tamen eis annuere, & eorum iniustitiæ succumbere, resistit, & resistitur, vociferatur cum illis, tacet iudicibus. Vexatur certè, & defatigatur. Invtilis tandem est conatus illorum, cum taxationi iustitiæ non sit contraveniendum.

4 Pretia rerum aliquando sunt, vel pendent ab hominum æstimatione, & tunc non habent pretium fixum. De his aliqua suprà dixi. Aliquando autem in indivisibili consistunt, quando scilicet, taxata sunt à Magistratu; vel à taxandi facultatem habente, adeo vt modica adhuc additio, vel minutio æqualitatem iustitiæ tollat, sic Rebel. 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 2. *num.* 3. & quos ipse citat, ex nostris Covarr. *lib.* 3. *cap.* 14. *numer.* 3. *&* *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. Larrea *decis. Granat. decis.* 11. Gutierrez *pract. quæst. quæst.* 181. *num.* 8. omnes tandem DD. *ad leg.* 1. *Cod. de Episc. aud. & ad text. in cap.* 1. *de empt. & vendit.* vbi Gonçalez *num.* 8. Etsi prædicti venditores pretium sic à Principe taxatum excedunt, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, quia indebitum exigunt contra dominorum voluntatem, vt ex communi sententia testatur Salas *tractat. de empt. & vendit. dub.* 6. *conclus.* 2. & 4. & si dissentiat Molin. *disput.* 265. §. *Ex his.*

5 Hæc taxatio pretij à Principe, vel Magistratibus in duplici casu fieri solet. *Primus casus*, est ordinarius quando id exigit bonum commune, vt res habeant fixum pretium (prudentium virorum arbitrio taxandum) ne venditores vltra summum iustum excedant. *Secundus*, est extraordinarius, quando scilicet tempore inediæ, vel caritatis venditores petunt suprà iustum, tunc

pro necessaria sustentatione Civitatis, Regni, vel Militiæ, potest Rex, vel Magistratus cogere Vassallos, vt frumenta vendant infimo iusto pretio, immò aliquando infra infimum.

6 In primo casu nil facit lex seu taxatio, sed solum declarat pretium, quod cives ex natura contractuum servare tenentur, & dum vagaretur intra suam latitudinem, id restrinxit, & ad indivisibile reducit. Hoc modo taxatur regulariter à Civitatibus, *dict. lex* 1. *Cod. de Episcop. aud.* ibi: *Ne modum mercandi videantur excedere*, *cap. De empt.* ibi: *Ne cariùs vendant, quam in mercato vendere possint*, *leg.* 1. §. *Cura carnis*, 11. *de Offic. Præfect. vrb.* ibi: *Cura carnis omnis, vt iusto pretio præbeatur, ad curam Præfecti attinet*, & ex alijs legibus, & Authoribus, quos citat Covarrub. & Larrea, & Delb.

7 Quod autem possit Princeps, vel Magistratus habentes frumentum, aut alias merces venditioni paratas obligare, vt eas vendant pretio à se taxato, est extra dubium; cum in ea obligatione nullam eis iniuriam inferat, quia obligat ad venditionem iustam, & bono communi expedientem, Covarrub. 2. *variar. cap.* 3. *num.* 5. & 3. *variar. cap.* 14. *num.* 3. Grafis *cap.* 113. *num.* 8. & 9. Molin. *disp.* 341. Vega *verb. Emptio*, *cas.* 50. Salas *dub.* 6. *conclus.* 4.

8 Secundo autem casu taxatur pretium communi poscente vtilitate, & necessitate. Venditores enim adeò crudeliter se gerunt tempore inediæ sterilitatis, & inopiæ, vt cogatur Iudex illos cogere, & intra certos limites continere. Cicero in Verrem: *Etenim qui modus est in rebus cupiditatis, idem est æstimationis, difficile enim est finem facere pretio, nisi li-*

libidini feceris, sic Bartol. *ad* §. *Cura carnis*, Romanus *in leg.* 2 .*num.* 12.*ff. solut. matrimon.* Alex. *conf.* 109. *col.* 2. *lib.* 2. Tiraq. *lib.* 2. *de retract. in præfat. num.* 28. *leg.* 2. §. *Itidem agitatum*, & §. *Portio*, 4. *ff. ad leg. Rhod. de iactu, leg. Si pendentes*, §. *Si quid Cloacarij, ff. de vsufr. & quemadmod.* ibi : *Viliori pretio.*

9 Vtrùm autem in hoc secundo casu inopiæ, & sterilitatis poſsit Princeps , vel Magiſtratus obligare habentes merces ad vendendum eas infra infimum iuſti pretij , eſt dubium inter Doctores. Videtur quod non. Primò. Quia lex taxans pretium infra infimum iuſtum, non videtur iuſta, & conſequenter eſt nulla. Secundò. Quia lex taxans pretia rerum ſpectare debet circunſtantias occurrentes , quæ aliquando exigunt pretium diminui, & aliquando augeri, ergo lex quæ hæc non ſpectat, iniuſta eſt. In hanc opinionem ſe inclinat Molin. *tract.* 2. *diſp.* 364. §. *Conveniunt.*

10 Objicit Molina ſibi ipſi. Expedit bono communi ne pauperes graventur . Reſpondet: æquè immò principalius expedit, ne domini tritici graventur, vel ne Agricolæ , qui plures ſumptus in tritico parando expenderunt, damnificentur.

11 Reſpondeo tamen: Poſſe Principem pretia mercium taxare infra infimum (aliàs) iuſti pretij vulgaris , cum id bono communi iudicat expedire , ita Delb. *de commit. tract.* 6. *dub.* 4. *ſect.* 5. *num.* 8. Rebel. 2. *part. lib.* 9. *quæſt.* 6. *num.* 6.

12 Probatur hac ratione P. Delbene. Quià Princeps in conſtituendo pretio rerum non procedit declarando pretium naturale, ſed illud ſtatuendo , & determinando prout

prout suo Regno, & communi bono iudicat expedire. At aliquando expedit bono communi taxare frumentum infra infimum iusti pretij naturalis: ergo talis taxatio iusta censeri debet.

13 Confirmatur: quia ideo talis taxatio censetur esse infra infimum iusti pretij naturalis, quia homines tantum spectant singulares, & proprias necessitates, vt caritatem mercium, & copiam emptorum. At Princeps, vel Magistratus spectare potest causam superiorem, & forsàn ipsis ignotam, quam si homines spectarent, iudicarent pretium taxatum non excedere iustum pretiùm naturale: ergo, &c.

14 Pro hac, Delbene citat multos, tàm Iuristas, quàm Theologos, quos apud ipsum videre licet. Addo ita intelligendos textus *in leg. Non debere*, 8. *ad municip. leg. Decuriones*, 5. *de admin. rer.* dum affirmant Decuriones obligari non posse ad vendendum res suas, *viliori pretio*, hoc est, dum publica necessitas non vrgeat pro pretio viliori, quamvis pro rerum venditione vrgeat, ita Covarr. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5. qui doctrinam prædictam solum veram esse dicit, quando publica adest necessitas, non solum quoad merces, sed etiam, quod pretium. Alij excipiunt: dummodo (inquiunt) in taxatione non fiat acceptio personarum, si fieret, v. gr. commodum pro Christiânis, & non pro Iudæis (vbi permittuntur) equidem certum est tunc dari iniustitiam, quia læderetur iustitia commutativa propter non servatam proportionem.

15 Adeò autem necessitas publica spectanda est, & commensuranda cum inopià civium, caritas mercium cum raritate pre-

pretij, vt quanto maior fit inopia, debeat esse maior pretij moderatio. Et si inopia sit in civibus, possit Princeps compellere divites ad superfluas merces absque pretio pauperibus erogandas. In quo casu intelligit D. Thom. 2.2. *quæst.* 118. *art.* 4. *ad* 2. illud D. Basilij *in Serm. ad div. avaros. Et panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam conservas, indigentis argentum, quod possides*, & D. Thom. *Quod Basilius loquitur in illo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habitorum:* Quando autem hæc ad praxim reducenda sint, vide Rebel. *loco cit. num.* 5. *in fin.*

16 Sed, vt ab hoc quæsito me expediam, quod iam latius solito prosequor. Vtrique opinioni oppositæ aliquid dandum putarem dicendo. Quod licet in aliquo casu raro, & extraordinario, quò manifestum est bono communi expedire, possit Rex, vel Magistratus merces taxare infra infimum iusti pretij naturalis; regulariter tamen, & secundum communem cursum non videtur id posse facere Princeps, vt multis comprobat Molin. *disp.* 365. *per tot.* Ratio; quia Princeps, & Magistratus non habent potestatem gravandi sibi subditos inæqualiter, vt bono communi subveniant, sed si habentes triticum cogerent vendere infra infimum iusti pretij, quod ex natura rei, spectatis circunstantijs tunc concurrentibus, valet, hos præ cæteris subditos gravarent: ergo, &c. ita Delbene.

17 An autem expediret Reipublicæ omnia pretia mercium taxata habere necne, vt negotiatores cogerentur vnifor-

miter huic generali taxationi parêre? Non disputo. Quęstio est à meo proposito devia, Politica, Principi necessaria. Eam pro dignitate tractat Mexia *in Pragmat. tax pan.* Bobad. *lib.* 3. *Polit. cap.* 4. *num.* 62. Navarr. & Larrea *vbi suprà.* Certum est commoda, & incommoda ex taxatione generali sequi, quæ referuntur *in leg.* 1. *lib.* 5. *tit.* 25. *Nov. Recopil.*

18 Hoc vnum ex his omnibus pro mea Præfectura firmiter deduco. Pretia mercium à lege, aut Magistratu taxata firmissime observari debere, ita vt Præfectus nullo modo à taxatione recedere possit. Et expressus textus *in leg.* 1. *lib.* 9. *tit.* 34. *Nov. Recopil. Castell.* ibi: *Con que no exceda de la tassa*, *leg.* 13. *&* 15. *Cod. de erogat. Milit. Ann.* ibi: *Adærationes statutas ausus fuerit immutare*, & ibi: *Pro publica vtilitate taxatis præcipiat erogari.*

19 Igitur mercatores tenentur vendere iuxta taxationem. Ratio est, quia dicta taxatio inducit obligationem peccati mortalis ex genere suo, & obligationem restitutionis emptori faciendæ, Soto *lib.* 1. *de iustit. & iur. quæst.* 6. *art.* 6. *argum.* 5. *pag.* 58. *col.* 1. *& pag.* 66. *col.* 2. *& lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 4. *pag.* 342. *col.* 1. *& lib.* 5. *quæst.* 8. *art.* 4. *pag.* 464. *col.* 2. qui acerrime hanc obligationem restitutionis propugnat, sive pœnam habeant vendentes contra taxationem, vel non, & sive pœna luatur, vel non. Immò adhuc in opinione asserentium leges pœnales non obligare ad restitutionem, nec ad peccatum. Cuius ratio est, quia cum pœna transgressionis non sit in favorem emptoris, sed legis, pro obligationibus iustitiæ, & illud ablatum sit ablatum ab emptore, inde est, quod à venditore non in-

intelligatur restitutum, nisi emptor ablatum recipiat, *leg.* 4. *tit.* 15. *lib.* 5. *Nov. Recopil.* ibi: *Y contra lo por Nos prohibido, y mandado le huviere llevado, se lo pueda pedir en qualquier tiempo; y como cosa mal llevada sea obligado à restituirselo,* sic Rebel. *numer.* 2. qui Navarr. citat *cap.* 23. *num.* 88. Sotum *de iustit. quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 3. Covarr. 3. *resol. cap.* 14. *num.* 3.

20 Dices: leges pœnales in probabili opinione non obligare in conscientia, cum sufficienter satisfiat præcepto, exponendo se ad pœnam subeundam, quando delinquens aprehendatur. Respondeo; in casu transgressę taxationis mercium duplicem violari obligationem, vnam respectu legis, aliam respectu emptoris damnificati. Prima est pœnalis, in favorem legis imperantis. Secunda ęst in favorem emptoris ratione iustitiæ, in qua venditor emptori iniuriam, & iniustitiam fecit. Estò quod prima, ex eo quod sit pœnalis, in sententia probabili non obliget nisi aprehensum delinquentem, secunda semper obligat; quia restitutio non dependet ab exteriori aprehensione, sed ex interiori regulatur: ergo vel delinquens aprehendatur, sive non, vel pœnas legis luat, sive non, vel satisfaciat legi, sive non, semper tenetur restituere emptori excessum pretij, quod ab eo extorsit, vt satisfaciat peccato iniustitiæ contra emptorem commisso, Suar. *vbi supr. num.* 10. Indisputatam relinquo quęstionem: an leges pęnales obligent in conscientia ad actum, quem proximè intendunt? Quam latè disputat Suar. *de legib. lib.* 5. *cap.* 3. Gutierr. *lib.* 2. *pract. quæst.* 180. *num.* 24.

21 Nec etiam dispu-

to de iustitia, & iniustitia taxationis, nam hoc non pertinet ad Præfectum, sed ad taxantes. Hi (si taxa sit iniusta) tenentur restituere Dominis vendentibus, si iustum pretium taxatio non attigit: emptoribus si iustum pretium taxatio excessit. Hoc vnum ad Præfectum pertinet, certum fieri de taxatione, illamque inquirere debere, vt ab illa non discedat vtrique obligationi attendens, & legis pœnam minantis, & iustitiæ restitutionem imponentis. Vide *Concilium Parisiens. temporibus Ludovici*, & Lotar. *can.* 52. *Concil. Arelat. sub Carolo, cap.* 23. Conc. Mogunt. *cap.* 7. & Gonçal. ea referentem *ad dict. cap.* 1. *de empt.*

22 Aliqua quæsita, vel quærenda hinc dependentia volo breviter tangere.

23 Quær. primo. An adveniente abundantia, & copia mercium possit emptio celebrari secundum taxationem tempore sterilitatis factam, relicto pretio naturali secundum æstimationem hominum? Respondeo negativè, venditionemque ita factam esse vsurariam, & illicitam, ita Cordubens. *in Sum. quæst.* 4. Medina *in instruct. fol.* 14. Ludov. Lopez *cap.* 15. *de taxat.* Garcia, quem citat Lopez, & Rebel. *vbi suprà, num.* 12.

24 Ratio fundamentalis pro hac resolutione, & similibus est, quia leges taxantes merces in gratiam emptorum latæ sunt, ne scilicet vltra illud pretium emere cogantur, liberum tamen reliquerunt, si minoris emere possint. Taxa terminum præscribit pretio, ne vltra illum exigatur; at non derogat legi naturali pretium inferius constituenti est expressa, *lex* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *Nov. Recopilat.* ibi: *Pero que menos de los dichos pre-*

precios se pueda vender, y venda, segun que las partes se convinieren, y concertaren. Et quod in favorem alicuius inventum eſt, in eius damnum non poteſt retorqueri. Poſſunt igitur emere pretio naturali, & non taxato, ita Delbene cum multis, quos citat *loco cit. ſect.* 8. *num.* 2.

25 Confirmatur: quia ſi tempore taxæ hoc à taxante cognitum fuiſſet, vel non taxaſſet, vel viliùs taxaſſet, cum taxa ſemper in gratiam emptorum fiat, ergo quamvis emptio celebretur contra taxam ad pretium naturale, non intelligitur emptio celebrari contra, ſed iuxta voluntatem taxantis. Exemplo practico, quod nobis Limæ accidit, hoc aſſumptum probabo. Paucis ab hinc retro annis magnam ſterilitatem, & tritici penuriam paſsi fuimus, & Dominus Prorex, vt alliceret, & invitaret mercatores ad avehendum triticum è longinquis Regionibus, taxavit triticum ſummo pretio, conſulens *leg.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *Nov. Recopil.* ibi: *Podria dexar de venir, de que reſultaria gran falta.* Quo poſito quęlibet fanega, *hanega* (ita vocatur à Delben. & DD.) conſtabat decem & octo argenteis, *cada hanega à* 18. *peſos*, ita fuit taxata. Cupiditate (& avaritia fortè) allecti mercatores aſportaverunt triticum in tanta quantitate, quod taxa minorata brevi fuit ad 12. & ego emi tribus argenteis ſtante taxà ad 12. ita Civitas prudenti, & facili conſilio fuit auxiliata, non defecit frumentum, quod eſt vnum ex damnis, quæ referuntur à Rebel. *num.* 5. & Larrea citatis. Ecce, tandem, caſus practicus in quo vendebatur contra taxam, & tamen vendebatur non contra, ſed ſecundum voluntatem taxantis. Quotidie minuebatur, & conſtituebatur

batur novum pretium naturale prudenti hominum æstimatione intra latitudinem iusti.

26 Quær. secundo. Vtrùm taxatio obliget, quando merces non sunt sanæ, sed vitiosæ, & corruptæ, v. gr. triticum paleis plenum, vermibus corrosum, vinum acidum, aqua mixtum, &c? Respondeo, tunc non obligare taxam, nec vendi posse pretio à lege taxato, sed detrahendum esse, quantum prudentis arbitrio minoris valet, quam merces sana, integra, & incorrupta, quam lex supponit, & taxat non corruptam, quam nec taxat, nec supponit. Ita est intelligendum, quod diximus pretium taxatum consistere in indivisibili, Petrus Ledesma 2. *part. Sum. tract.* 8. *cap.* 32. *conc.* 7. *diffic.* 1. Molin. *disput.* 364. §. *Posito*, Salas *dub.* 11. *Reb. sect.* 3.

27 Quæres tertio. An adveniente sterilitate mercium vrgeat lex, quæ tempore abundantiæ taxavit? Prima sententia negat, & illam legem cessare docet, vtpotè iniustam, & iniquam. Moventur primo ex eo, quod Princeps non habet potestatem gravandi subditos inæqualiter, &c. Secundò, quia lex, vt sit iusta, taxare debet pretium, quod sit æquale ipsis rebus, spectatis circunstantijs: ergo lex, quæ pretium frumenti anno sterilitatis æquè, ac anno abundantiæ taxaret, esset iniqua: ergo, &c. Tertiò, quia leges attendunt ad ea, quæ frequentius accidunt: ergo non præsumuntur latæ pro casu extraordinario. Hanc opinionem tuentur Navarr. *cap.* 23. *num.* 88. & *cap.* 28. *num.* 86. Rebel. *de obligat. iust.* 2. *part. lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 3. Mexia *in pract. frum. conclus.* 3. *num.* 17. & *conclus.* 18. *num.* 16. Molin.

disp. 364. *& seq.* Medin. *de rest. quæst.* 36. *&* 31. & alij apud Delbene.

28 Secunda ſententia affirmat, & tenet legem (regulariter loquendo) taxantem triticum obligare anno ſterilitatis adveniente, ſic Cordov. *in Sum. quæst.* 78. Petr. Navarr. *de rest. lib.* 3. *cap.* 2. Ledeſin. 2. *part. Sum. tract.* 8. *cap.* 32. *diffic.* 19. *de taxat.* Mutien. *leg.* 1. *gloſſ.* 2. *tit.* 25. *lib.* 5. *compil.* & ibi Azevedo, & ſpecialiter, *leg.* 4. *eodem titul. pag.* 60. Delben. *de comit. tract.* 6. *sect.* 6.

29 Probatur, quia aliàs providentia legum taxantium non eſſet ſolida, nec attendenda, immò eſſet irriſibilis, & contemptibilis, ſi pro qualibet novitate, aut circunſtantia vim ſuam amitteret, & efficaciam: & circunſtantia alicuius advenientis ſterilitatis cum circunſtantia aliùs advenientis fertilitatis compenſatur, quin leges paſſim contemnantur, & viam ſuam facilè perdant.

30 Confirmatur *ex leg.* 5. *tit.* 25. *lib.* 5. *compil.* quæ lata fuit tempore ſterilitatis, vt advertit Caſt. *lib.* 6. *de leg. Pœnal. cap.* 12. & conſtat ex ipſa lege, quæ præcipit Magiſtratibus, vt Sæculares, & Eccleſiaſticos habentes triticum cogant ad vendendum pretio taxato, quod neceſſarium non eſſet, ſi non eſſet neceſſitas: ergo ob ſterilitatem anni lex non ceſſat, cum etiam pro illo anno lata ſit.

31 Dixi *regulariter*; quia ſi ſterilitas tanta eſſet vt pretium infimum, quod competit tritico ex natura rei, attentis anni circunſtantijs, longe excederet pretium taxatum, puto in tali caſu ex præſumpta voluntate Principis taxam ceſſare, ita Delb. & Molin. cum alijs.

32 Quær. quarto. An adveniente, & vrgente in dies

dies maiori necessitate, & sterilitate, servanda sit taxa posita tempore positivæ sterilitatis, seu necessitatis? Respondeo hoc dubium sufficienter resolvi ex resolutione præcedentis.

33 Quær. quinto pro Præfecto. Quid faciendum, quando taxatio posita in principio sterilitatis, sterilitate grassante cœpit publice despici, emptionibus suprà taxam fieri incipientibus, num poterit Præfectus parvipensà taxà constituere pretium naturale hominum æstimatione iustum? Pro generali quæstionis, distinctione opus est. Aut Princeps, seu qui taxam imponit, scit hanc inobedientiam, vel non? In primo casu, nempè si scit, & tacet, credo taxam cessare, & posse venditores vltra taxam vendere constituendo novum pretium hominum prudentũ æstimatione dignum. Ratio est, quia qui tacet, consentire videtur, *iuxta regulam is qui tacet, de reg. iur. in* 6. Insuper nihil, tàm naturale, quàm quod eodem modo res dissolvatur, quo colligata est, *cap. Omnis res extra, de reg. iur. §. fin. instit. quib. mod. oblig. toll.* ergo si Princeps, qui est causa legis, immò & ipsa lex, consentire videtur in derogatione legis, quam ipse statuit, naturalissimo modo dissolvi videtur.

34 Si vero Princeps, vel taxam imponens illas transgressiones taxę ignoraverit, nihil de venditionibus vltrà illam factis sciens, vel si aliquem puniat, quamquam non puniat omnes (ex aliqua enim dissimulatione, & alicuius, vel aliquarum personarum prudenti acceptione contraria voluntas non bene colligeretur) dicendum est, taxam permanere, & esse attendendam, sic Rebel. *num. 15.* qui

qui Medin. *quæst.* 36. alios que citat.

35 Sed advertant Præfecti, ne vnquam taxationem supergrediantur, & pretium vltra illam constituant. Ne quis eos seducat dicens taxam non esse in viridi observantia, esse abolitam tempore. Ipso die taxæ in Portu Callai taxa cõtemnitur, & clandestinè contra illam multa venduntur. Aboletur taxa, sed de facto, non de iure; & id possumus, quod de iure possumus. Persuasos meos Præfectos vellem: Ne taciturnitati, quam summam promittunt venditores, credatis, nec fidatis. Præfectus nequit emere in occulto, sed mediante instrumento authentico, testibus, & subscriptionibus. Taxam sequere. Ad amussim indivisibilis pretij taxati emptiones tuas regula. Infra taxam, si potest fieri sine iniustitia, semper: suprà taxam, nunquam.

36 Si autem propter transcursum temporis, vel propter aliquas rationes iustas ex his, quas suprà tetigimus, novum pretium statuendum videatur, venditores clament, adeant iustitiam, & Magistratum, de Præfecto conquerantur, iniuriam, quam illis facit propulsent rationibus, quas habeant, vt contra taxam eundum sit. Hoc omnibus proderit, & licite, & in palam secundum iustitiam operabuntur omnes. Interim tamen, hoc est, vsque dum, vel novum pretium statuitur, vel primum instauratur, nil Præfectus vltra primum faciat, nè se exponat pœnæ, vel notæ transgressoris legis, & (quod plus est) ne suæ obligationi, & conscientiæ deficiat.

37 Hoc meum consilium non solum est speculativum, sed practicum. Illo in omnibus huiusmodi occasionibus regulor.

Hoc modo venditores meos cogo ad Proregem adeundum. Aliquando in terminis accidit, & à Domino Prorege Duce de la Palata querellam alicuius venditoris attendente, & iustam reputante, fui instructus taxam antiquam vsque illuc iustam, ex novis advenientibus circunstantijs iam non esse iustam, sed novam constituendam esse. Fui iussus taxam non attendere, sed novam facere ex hominum prudentium æstimatione. Obedivi, & ita feci;& quidem summo gaudio. Iniustitias enim, & tyrannides non amo, sed securitatem conscientiæ, & legalem omnibus meis operationibus desidero, & inquiro.

38 Alia quæstio potest Præfecturæ adaptari, quam tractat Larrea *decis. Granat. decis.* 11. An taxa solum præsens tempus attendat, an autem, & ad præteritum referatur? Presertim cum non statim à venditoribus instramenta extrahantur, vel petantur, quibus pretium constituitur, & debitum constat. Sed quia hæc hypothesis rarò accidit, in ea non immoror si acciderit, & eius resolutione opus fuerit Larream adi, vt eam examines, & ex ibi positis resolves.

39 Quær. sexto. An Clerici, & Religiosi teneantur vendere ad taxam merces suas? Ratio dubitandi est, quia exteri à taxà eximuntur, vt ad merces adducendas excitentur, Molin. *disp.* 264. Salas *tract. de empt. dub.* 7. Ledesma 2. *part. Summæ tract.* 8. *cap.* 32. *diffic.* 11. *de taxa*, & alij, sed Clerici, & Religiosi, alienigenæ æstimantur respectu potestatis laicæ taxantis, cui non subijciuntur ratione immunitatis, quà gaudent: ergo non tenentur vendere ad taxam. Hæc quæstio est valde necessa-

ria in Portu Callai, vbi Clerici negociatores concurrunt die Lunę nundinis hebdomadarijs assignato, & multoties cum illis Pręfectus contractus facit.

40 Respondeo breviter. Clerici, & Religiosi tenentur ad taxam res suas vendere, & contrà facientes peccant; & ad restitutionem tenentur, Rebel. *vbi supr. num.* 9. Medina *de restitut. quæst.* 30. Navarr. *cap.* 23. *num.* 88. Mexia *de Pragmat. pan. conclus.* 5. *num.* 1. Delben. *de Parlam. tract.* 6. *dub.* 4. *sect.* 7.

41 Quod à forciori procedit in sententia eorum, qui docent Clericos, & Religiosos, legibus civilibus immunitati Ecclesiasticæ non derogantibus directe obligari, quam tenent Salas *dubit.* 9. *conclus.* 2. Rebell. 2. *part. de oblig. iustit. lib.* 9. *quæst.* 2. *sect.* 2. sed & in omni opinione.

42 Probatur. Quia talis lex taxans æqualitatem pretij cum merce vendita constituit, & ex alio capite Clerici, & Religiosi æqualitatem in suis contractibus tenentur observare, tametsi directe legibus civilibus non obligarentur, Castro *lib.* 6. *de leg. pœn. cap.* 12. Medin. *de rest. quæst.* 36. Azor *tom.* 6. *lib.* 5. *cap.* 12. *quæst.* 4. Rodrig. 2. *part. Sum. cap.* 79. *conclus.* 5. & Gutierr. 2. *part. quæst.* 180. *num.* 16.

43 Hoc stabilium invenio *in leg.* 1. *lib.* 5. *titul.* 25. *Nov. Recop.* ibi: *Ninguna persona, ni Eclesiastica, ni Seglar*: ergo Clerici etiam subijciuntur.

44 Probatur etiam *ex text. in cap.* 1. *de novi oper. nunciat.* ibi: *Quia vero sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum Statuta Canonum Principum constitutionibus adiuvantur*, & ibi: *Legalibus debet constitutionibus demoliri*, & ibi: *Ne-*

gotium ipsum secundum legum, & Canonum Statuta non differas terminare, cap. Lege, dist. 10. *cap. Si in adiutorium,* 23. *quæst.* 2. *cap. Historia,* 54. *dist.*

45 Confirmatur primo. Ex eo quod Ecclesiastici quantumvis immunes à iurisdictione Sæculari, vnum tamen corpus efficiunt cum reliquis civibus ad construendam Rempublicam, & eiusdem Regis sunt Vassalli: inde est, quod debeant metiri eisdem regulis, ac reliqui mensurantur, præsertim in his, quæ non repugnant Ecclesiasticæ libertati, nec sacris sanctionibus.

46 Confirmatur secundo, ex Azev. *ad dict. leg.* quia Clerici ratione publicæ vtilitatis compelli possunt, Salced. *in Add. ad Pragmat.* Bernar. Diaz *cap.* 55. *pagin.* 170. cum alijs, quos citat *Glossa, verbo Clericos*, & possunt peti à potestatibus sæcularibus, vt vendant frumentum sibi, suæque familiæ non necessarium, pretio à lege taxato, sic deciditur *in leg. Regia, tit.* 25. *lib.* 5. *compil.* ibi: *Assi Clerigos, y personas Eclesiasticas, como Comendadores de qualesquier Ordenes*, & ibi: *Y les manden, y apremien à que lo vendan*, & docet Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 9. *conclus.* 1. Mexia *in Pragmat. pan. conclus.* 1. Morla *in emporio iuris* 1. *part. tit.* 9. *quæst.* 1. & ratio est, quia hæc petitio non videtur dedecere Clericos. Præsertim cum ad eos proprissime spectet publicæ necessitati subvenire; hoc enim (vt ait Azevedo) est eorum peculiare Officium, *cap. Denique,* 4. *dist. cap.* 1. *& seq.* 42. *dist. cap.* 1. *extra, de empt. & vend.* & docet Menchaca *de successión. creat. cap.* 22. *num.* 59. *& controv. vsur. freq. cap.* 5. *per tot.*

47 Bene ergo Rebel. cum prędictis dicunt Cleri-

ricos, qui taxam transgrediuntur peccare contra iustitiam commutativam, tenerique ad restitutionem, sicut & laicos, & non solum peccare transgrediendo taxam, verum etiam si eam deludant quâvis machinatione, aut arte, v. gr. vendendo frumentum taxatum pro alia re maioris valoris, aut non vendendo taxatam rem nisi cum aliâ non taxatâ in maiori pretio, quod in illa Civitate vocatur, *casados*, aut cum alia re, quæ emptori sit invtilis. Nam in his omnibus, alijsque similibus malitiâ hominum productis, & producendis tenetur, tàm Clericus, quàm laicus ad restitutionem quanti gravamen æstimabitur, sic Rebel. & Mexia *loc. citat.*

48 Quod si obedire noluerint, debent puniri à Iudicibus Ecclesiasticis, & frumentum, seu mercem à Iudice laico sequestrari, extrahi, & vendi, prius requisito Iudice Ecclesiastico, vt eos compellat frumentum ipsis non necessarium exhibere pro publica necessitate, ita Gutierr. *lib. 1. quæst. pract. quæst.* 13. Azeved. *comment. ad leg. Recoll. addita, leg. 4. tit. 25. lib. 5. Recop.* Delb. *vbi supr. n. 9.*

49 In fine huius quæsiti addam. Vendentes ad taxam non debere molestari à nostris Ministris vllis alijs expensis quantumvis minimis, *leg. 2. tit. 25. lib. 5. Nov. Recop.* ibi: *No les sea llevada cosa alguna, y que las Justicias dèn orden como lo susodicho se haga sin molestia, ni detenimiento alguna.* Venderent enim infra taxam, si aliquid solverent. Malè igitur, & contra iustitiam vendentibus ad taxam aufertur ab Officialibus aliquid ratione expensarum; Absit à me, & à nostris Officijs non solum à venditoribus ad taxam aliquid

quid extorquere, pro instrumento conficiendo, vel alio prætextu; sed nec à qualicumque venditore, propter dicta *lib.* 1. *cap.* 8.

50 Quær. septimo. An asportans merces per mare teneatur vendere ad taxam, vel à taxa eximatur? Hæc quæstio validissima viget in Portu Callai inter negotiatores cōcurrentes omnibus ferijs secundis ad nundinas hebdomadarias. Duplex est sententia prima est non obligari ad taxam, hanc sequuntur venditores altius semper pretium exigentes ratione asportationis. Hæc est Petr. Delben. & aliorum, quos citat *tract.* 6. *Parlam. dub.* 4. *sect.* 7. *num.* 2. *& sect.* 12. Molin. Ledesm. & Salas ab eo citatorum.

51 Et probari videtur, *ex leg.* 1. *tit.* 25. *lib.* 5. *Nov. Recopil.* Vbi postquam noster Rex taxam ibi positam in omnibus Regnis suis servari decrevisset, iubet in finalibus verbis hoc non esse servandum in Gallæcia, in Cantabria, & Asturijs: *En Galicia, en las Asturias de Oviedo, y Santillana, Condado de Vizcaya, Encartaciones, Guipuzcoa, Montañas, Quatro-Villas, &c.* Et reddit rationem: *Porque estas dichas Provincias, y tierras se proveen de acarrèo de otras partes.* Et post pauca: *Es nuestra voluntad, que en quanto al dicho pan, que de fuera de estos Reynos viniere por mar, no se entienda la dicha tassa, y los que lo traxeren lo puedan libremente vender, segun se concertaren, sin que sean obligados à guardar los dichos precios, y tassas.* Ex quibus deducunt taxam non intelligi respectu mercium, quæ per mare asportantur, sed Dominos exemptos manere ad faciendum pretium cum emptoribus parvipensà taxà

Hæc

52 Hæc opinio, quam video vniversaliter ab asportantibus admissam maximæ inordinationis est causa, scilicet, vt eodem die, quò vniversaliter omnibus negotiatoribus promulgatur taxa, addito minimo, vel nullo rigore (qui incumbere debuisset Iudicibus, circa observantiam taxæ, vt in *dict. leg.* 1. præcipitur) eodem, inquam, die, quo triticum parvi taxatur, pluris venditur.

53 Secunda sententia est. Asportantes per mare merces ad Portum Callai ad taxam ibi promulgatam teneri. Hanc sequuntur emptores, & his subscribo. Moveor ex eo, quod iuxta *leg. Scire leges, ff. de legib.* verba legis non sunt litteraliter attendenda, sed intentionaliter, hoc est, attendere debebus ad mentem, & rationem earum; ideo leges sunt interpretandę quoadvsque mentem earum adipiscamur, *leg. seq. ff. eod.* Cumque ratio *dict. leg.* 1. non sit privilegium concedere mercibus per mare asportatis, eo præcisè, quod per mare venerunt, aliunde mentem legis coniectare opus est.

54 Ratio, cui innituntur adversarij, contra nos non est. Arguunt ita. Illa lex prima taxam posuit solum frumento Civitatis, vel Regionis, & non frumento per mare asportato. Ex hac præmissa inferunt: ergo in omni taxatione frumenti Civitatis, vel Regionis nunquam intelligitur taxatum frumentum per mare asportatum. Mala consequentia; quis ex particulari vniversalem infert? Debuissent inferre: ergo quando taxatur frumentum Regionis non venit taxandum frumentum per mare asportatum. Adhuc est mala. Debuissent concludere: ergo quando taxatur solùm frumentum Re-

Regionis non intelligitur taxatum frumentum asportatum per mare. Tunc concederem consequentiam. Sed vnde sciunt taxationem, quæ in Portu Callai promulgatur, includere solum frumentum Civitatis, & excludere asportatum per mare? Quid veniat intelligendum? Hoc opus, hic labor.

55 Indubitatum mihi est taxam frumenti, quæ fit à Magistratu Limę comprehendere frumentum asportatum per mare; quod probo. Primò. Ex generalitate. Indefinitè taxat frumentum, & propositio indefinita ęquivalet vniversali, vt sciunt logici: ergo lex taxans frumentum omne frumentum taxat.

56 Secundò. Probo ex eo, quod nulla providentia, vel taxatio datur in illa lege respectu tritici asportari per mare, quæ dari debuisset, & data fuit in illa, *leg. 1. Nov. Recopil.* vbi expressè excipitur triticum transportatum pro illis Regionibus Gallęcie, &c. Confirmatur *ex leg. 2. sequenti*, quę providet pro asportante triticum è longinquo, iubens ei præstari supra taxam sex marapetinos pro vnaquaque leuca: ex quo bene infertur: ergo hæc asportatio in taxà non erat comprehensa, cum de illa fiat separata mentio: ergo à contrario, asportatio, de qua non fit separata mentio, non est extra taxam, sed intra.

57 Tertiò. Probatur ex fine, quem habuit taxans in eo, quod non includeretur in taxà frumẽtum asportandum, qui patet in illis verbis: *Porque el pan que viene por mar, fuera de estos Reynos, si huviessen de aguardar los que lo traxessen la dicha tassa, podrian dexar de venir*, est idem ac dicere: non taxetur triticum asportandum ne fortè non asportetur à mer-

mercatoribus prævidentibus ex taxa modicitatem lucri. Ex quo argumento adversariorum argumentum pro me facio: Non taxatur, quando ex taxa timetur, ne prohiberentur, vel arcerentur ab asportatione: ergo à contrariò, quando triticum taxatur, nihil timetur de defectu asportationis, vel à contrario: ergo quando non timetur de defectu asportationis, taxatur. Ex quibus consequentijs aliam eruo: ergo taxatio tritici Civitatis reminiscitur tritici asportandi: ergo illud includit: ergo nequit vendi nisi ad taxam.

58 Quod totum comprobatur ex illo casu suprà *dict. num.* 25. supremę caritatis tritici, quam experti fuimus Limæ anno 1688. & sequentibus. In principio caritatis nulla imposita fuit taxatio à Prorege, non obstante quod faneça tritici 25. argenteis constaret. Non fuit taxatum, & quidem non inconsultò, & imprudenter, sed prudentissimè, & à consilio, vt spe illius magni lucri omnes mercatores hinc, & inde triticum asportarent, sicut asportaverunt in maxima copia. Hoc vnum est notabile pro nostra probatione. In principio caritatis ob metum defectùs asportationis non fuit triticum taxatum; postea fuit taxatum quando cessavit ille timor: Ergo quando non est timor defectus asportationis, triticum taxatur, & taxa comprehendit etiam triticum per mare asportatum; sed in nostro casu non timetur defectus asportationis, & pretium tritici indefinitè, & generaliter taxatur: ergo in nostro casu taxa comprehendit triticum per mare asportatum.

59 Sed quæres. Cur non posset timeri defe-

ctus asportationis? Scientes enim mercatores modicitatem lucri, quę ex taxà cognoscitur, retrahentur ab hoc beneficio Reipublicæ. Respondeo: hoc nõ esse timendũ, eò quod taxatio semper hac prævisione apponatur adeò prudens, vt asportaturi mercatores certò semper lucrentur, & nunquam perdant: omnes enim sumptus facti in asportatione sunt considerati, & imbibiti in taxatione prudenti, quæ fit.

60 Dices, ex hac æqualitate inæqualitatem sequi: Si enim mercatores asportantes de longinquo debent vendere eodem pretio taxato, quo vendunt mercatores Regionis, minus lucri percipient illi quam isti, nempè sumptus asportationis, quos non faciunt isti. Respondeo, negando sequi illud inconveniens. Primò, quia asportantes triticum de longinquo extrahunt illud de Regione abundantiori, vbi minimò triticum valet, vnde quamvis faciant sumptus in asportatione, sumptus asportationis mercis abundantià compensatur, immò & asportatio tritici Regionis per terram carius plerumque constat, quam asportatio frumenti exteri per mare.

61 Facillimo negotio hæc quęstio decideretur non adducendo leges, & Authores, sed manifestando voluntatem, & intentionem taxationis. Cur ergo (dicet fortasse hæc legens) Magistratus, qui taxam tritici, vel aliarum mercium facit servandam in illo Portu, non explicat suam intentionem? Dicat explicitè, an comprehendat, vel non triticum, vel merces asportatas per mare. Puniat contra facientes, & hac facili explicatione, rixæ quotidianæ inter mercatores cessabunt. Cur potiùs dissimu-

lat,

ſat, quam explicat non intelligo. Si Lector miraris, ego quoque miror.

CAP. VIII.

De Dardanarijs, seu Revenditoribus.

Quæſtio. *Quomodò Præfectus cum illis ſe gerere debeat in conventione pretij?*

1 QUi omnia præemunt, vt aliquando carius vendant, revenditores ſunt. Dardanarij vocantur, ſic dicti à Dardano quodam contaminatiſſimo, & profligatiſsimo homine, qui contra Nundinas, & earum vtilitates publicas navabat operam emendo omnes merces, quas poterat, vel eas ſupprimendo, vt poſtea ipſe ſolus venderet, pretia mercium taxaret, & Annona carior evaderet, ita Gloſſa, *leg. Annonam*, 6. *ff. de extraord. crimin. verb. Dardanarij*, Anton. Perez *ad leg.* 70. *lib.* 10. *Cod. numer.* 11. Hic Dardanius erat Magus, à quo, magicæ artes, Dardaniæ vocantur, teſte Colum. ibi:

Aut ſi nulla valet medicina repellere peſtem
Dardaniæ veniant artes.

Ita Calepinus. Et hoc modo, & medio divitias maximas feciſſe ex Nundinis Magica arte adiutum, dicit Cujat. *lib.* 10. *Obſerv. cap.* 19. Quot Dardanos, cupidę avaritię Magià infectos habemus paſsim!

2 Peſsimum certè hominum genus. Nil pernitioſius, quam illos contrectare: nil laborioſius, quam cum illis conventiones inire: foris oves, intus lupi rapaces, qui ſub pelle amicitiæ omnes de-

cipiunt: eorum dolo caritas mercium venit, sterilitas artificiosa terram intrat, inopia publica crescit suis divitijs privatis. Isti premunt cives, pauperes supprimunt. Vnde D. Paul. 1. *ad Timot. 6. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

3 De his recte D. Chrisost. *super Matth.* 21. *homil.* 38. *oper. imperfect. Quicumque rem comparat, vt integram, & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de Templo Dei eijcitur.* Et alibi ibidem: *Eijciens Dominus vendentes, & ementes de Templo significavit; quia homo mercator vix, aut nunquam potest Deo placere, cap. Eijciens,* 11. *d.* 88. & Casiod. *super illus ps.* 70. Quoniam non cognovi litteraturam, alia, *vers. Negotiationem. Quid* (inquit) *aliud est negotiatio, nisi viliùs comparare, & cariùs velle distrahere?* Et postea: *Negotiatores tales Dominus eiecit de Templo.*

4 Quid est aliud in eisdem nundinis emere mercem vno pretio, & sequenti die eamdem mercem duplicato pretio vendere, nisi, ceu veros lupos devorare cives, sanguinemque eorum fundere, & bibere? Iuxta illud Ezech. 22. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avare lucra sectanda.* Vnde D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 4. quærit vtrùm liceat negotiari, rem carius vendendo, quam empta fuit? Et distinctione vtitur Angelic. Doctor. Negotiari propter necessitatem vitæ est laudabile; at vero propter lucrum captandum est turpe, iuxta Arist. *lib.* 1. *Politic. cap.* 6. *tom.* 5. Et licet prima negotiatio

fu-

sit laudabilis ex Philosopho, vel propter sustentationem domus, vel pauperum, vel propter aliquod honestum, vel publicam vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam desint, lucrum tamen, quod ex illa negotiatione captatur, debet esse moderatum, & adeò tenue, vt non intelligatur finis, sed pretium laboris.

5 Progreditur S. Doctor probare intendens in secundo argumento Dardanarios peccare lethaliter, hoc syllogismo: Ille peccat contra iustitiam, qui cariùs vendit aliquam rem, quam valeat: sed negotiator, seu Dardanarius cariùs vendit, quam valet, & emit: ergo, &c. In responsione profert hæc verba: *Ad secundum dicendum, quod non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negotiatur, sed solum, qui ad hoc emit, vt carius vendat*: ex quo infertur: Ergo omnis Dardanarius, vel negotiator peccatum incurrit, cum omnis emat, vt carius vendat.

6 In hos homines pessimos, Reipublicæ noxios omne ius invehitur. Primò. Ius Romanorum *in leg. Annonam, 6. de extraordin. crimin.* cum concordant. Accipe verba, quibus ponderatio omnis cedit: *Annonam attentare, & vexare, vel maxime Dardanarij solent; quorum avaritiæ obviam itum est, tàm mandatis, quàm constitutionibus. Mandatis ita cavetur. Præterea debebis custodire, ne Dardanarij vllius mercis sint; ne aut ab his, qui coemptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos æquis pretijs vendere nolunt, dum minus vberes proventus expectant, Annona oneretur. Pœna autem in hos varie statuitur; nam plerumque si negotiantes sunt, negotiatio eis tantum interdicitur; in*

interdum, *&* *relegari solent* : *humiliores ad opus publicum dare*. Hæc sunt verba plena doctrinà, prudentià, & providentià.

7 Ius Canonicum acriter invehitur *in cap.* 11. 12. *&* 13. *dist.* 88. & ferè per totam distinct. Ius nostrum Regium non minus acriter renovando, seu instaurando multas leges *in leg.* 19. *tit.* 11. *lib.* 5. *Nov. Recop.* & ibi Azevedo *leg.* 18. *&* 19. *tit.* 12. *eodem lib.* 5. *Nov. Recopil.* Vbi omnibus cuiuscumque conditionis, & qualitatis prohibetur, ne frumentum, hordeum, &c. emant, vt revendant, sub pœna amittendi frumentum, &c. Et pro prima vice, damnatur delinquens exilio sex mensium. Secunda, per integrum annum. Tertia, per tres annos. Si hæ, vel aliæ pœnæ essent in praxi, non essent tanti Dardanarij, non tot monopolijs affligeretur illud Regnum. Vigiles sunt negotiatores dum iustitia dormit. Zizania seminantur dum dormiunt, qui seminant bonum granum. Si iustitia vigilaret, sicuti avaritia, & cupiditas vigilant, vitarentur multa damna Reipublicæ.

8 Vt Dardaniorum calliditatibus, & dolis hæ leges obviam irent, prohibuerunt, ne quis ex frumento, vel alijs victualibus vltra necessariũ emat, ne alijs necessaria deficiant, vel cariùs vendantur, argumento *leg. Si Dominus*, *ff. de his qui sunt sui, vel al. iur. leg.* 6. *titul.* 21. *part.* 4. Et posse quemlibet Iudicem hoc facere, & prohibere ait Delben. *de Com. tract.* 6. *dub.* 4. *sect.* 4. *num.* 9.

9 Aliquas exceptiones hæc regula patitur. Et licet in hoc aliquantulum à meo proposito deviare videar, non nihil dicam, vt ex exceptione regula in contrarium appareat fir-

firma. Excipitur dives, qui tempore vrgentis necessitatis frumentum, v. gr. emeret, postea inter cives suos revendendum moderato lucro, quia tunc non tam emit causa lucri faciendi, quam subveniendi necessitati. Sicque iste casus (ait Delbene) per Epicheiam videtur à lege exceptus.

10 Sed, vt Azevedo advertit *num.* 2. cautè in hoc procedendum est, ne sub prætextu pietatis cupiditas inducatur, & legis dispositio elidatur. Immò vt securè fiat, non ex proprio Marte (vt ait Delben) id fiat, sed authoritate superiorum id est, de consensu, & scientiâ Magistratùs, seu Principis. Adhuc revenditiones, quę ex pietate fiunt, scire Magistratus debet, vt permittat. Omnino quæ ex delicto fiunt, sciat, vt puniat.

11 Ad cognoscendum Dardanarios, seu revenditores datur hæc regula generalis, vel negociator vendit rem, quam emit, immutatam, vel mutatam? Si immutatam, v. gr. triticum in ipsa specie tritici, non in panem mutatum, & cariùs, quam emit, vendit, Dardanarius est, D. Thom. *dict. art.* 4. *ad* 1. *Respondeo, quod verbum Chrysostomi est intelligendum de negotiatione, secundum quod vltimum finem in lucro constituit; quod præcipuè videtur quando aliquis rem immutatam carius vendit.*

12 Si autem rem mutatam vendat, v. gr. triticum panem factum, tabulas mensam, &c. hic non est revenditor, quamvis carius vendat, cum illud plus, quod accipit, pro labore accipiat, D. Thom. eodem loco: *Si autem rem in melius mutatam cariùs vendat, videtur præmium sui laboris accipere*, Azev. *ad dict. leg.* 19. *Recopilat. num.* 2. Avend. Matienç. &

& Mexia, Delbene *de immunitat. cap. 5. dub. 3. sect. 5.*

13 Inspiciamus aliquantulum manus horum hominum. A cogitationibus eorum incipio. Quis non mirabitur eorum vigilantiam. Statim ac audiunt damnum secutum, de remedio cogitant. Ponamus exemplum. Pervenit Nuncius tristis testificans naves, quæ onustæ frumento avidè expectabantur, naufragio, vel Pyratis perijsse. Mira res: in ipso instanti, quo omnes mærent, isti exhilarantur. Omnes corruunt, & isti de suà exaltatione medià Dardanatione cogitant. Statim, vel quantociùs, non spectans diem nundinarum comparat revenditor sibi totum triticum, quod invenit. Venit dies nundinarum. Invenimus totum triticum comparabile in sua vnica manu, facit pro suo libito pretium, duplicatum, vel triplicatum, provt ipse vult. Hoc passim experimur. Non sum ego Iudex Dardanariorum, sed cum quotidie illos contrectare cogar ratione Præfecturæ (ab ipsis enim omnes ferè species Annonarias recolligentibus emere sum compulsus) suas iniquitates etiam contrecto. Superbos, & irreducibiles illos experior. Non possum non dolere de eorum impunitate. Si iustitia vigilaret, sicuti eorum vigilat avaritia, insanabilis eorum insania magna ex parte compesceretur, aut temperaretur. Adeò impunita res est, vt ipsi revenditores non reputent se ipsos in hoc leges transgredi. O infelices homines, qui vt quęratis vitam, quæritis mortem, perditionem quæritis!

14 Duplici modo diverso isti homines revendendas merces emunt & recolligunt. Aliquando in-

infimo, & viliori pretio, quod (alioquin difficile) facilè assequuntur, vel quando vnico ictu, seu actu plures merces, seu plures quantitates, vel omnes emunt, quod vocamus, *al barrer*, & propriè; everrunt enim omnes merces: vel comparando ab aliquo summè numis indigente; comparant enim tunc indigentiam pauperum, vel ab alio, vel alijs simili angustià, vel indigentià laborantibus, qui omnes semper vili vendunt.

15 Aliquando vero emunt etiam supremo iusto pretio, quando scilicet alio modo prævident non posse ipsos emere, & res colligere merces, quas anhelant. Tanta est eorum cupiditas, & adeò certum lucrum odorantur, vt supremum iustum naturale pretium non recusent præstare, eà iniquà confidentià nisi, quà impunitè poterunt superaddere mercibus pretium, ex quo eas in manibus suis, & in suo arbitrio positas videant.

16 Quid ergo Præfecto faciendum? Vigilandum est illi super vigilijs Dardanariorum. Et primo respondebo pro primo casu quando scilicet Dardanarij emerunt infimo pretio. Observet Præfectus emptiones, quas faciunt isti homines, qui hoc vitio laborant, quod illi facile erit, cum plerumque isti contractus in Nundinis hebdomadarijs celebrentur. Et non obliviscatur Præfectus magni privilegij, quò Præfectura gaudet, emendi, si velit, res à quocumque alio emptas eodem pretio, quo emerat prior, *por el tanto*, dummodo intra duos dies à prima emptione accedat, vt in *leg.* 20. *tit.* 11. *lib.* 5. *Recopil.* quo privilegio vtens, vi-

Tt gi-

gili diligentia adhibita, vt in notitiam suam hæ revenditorum emptiones veniant, multa poterit infimo pretio emere. Vnum tamen in hoc puncto vellem Præfecto dicere: ne talem secundam emptionem, *por el tanto*, faciat, nisi certò sciat pretium in promptu esse, vt primo emptori, vel venditori statim tradatur. Aliàs esset Pręfectus causa magnæ iniuriæ, & iniustitiæ privando emptorem, vel venditorem merce, vel pretio mercis, quin secundum pretium recipiant.

17 Si autem Præfectus notitiam primæ venditionis non habuerit, vel intra duos dies non recurrit primam venditionem eversurus, sed primam iam perfectam cum Dardanario inveniat, & dum vult merces illas Annonarias emere pro Classe Regiá invenit revenditorem illum, pretium suprà summum iustum petentem, patienter illam iniquitatem sibi irremediabilem tacens dissimulet, & offerat pro mercibus emendis pretia iusta ascendendo vsque ad supremum iustum numeratum, vt alibi dixi, & nullo modo suprà supremum iustum ascendat. Ratio autem huius ascensus vsque ad supremum iustum, hæc est; quia nemo tenetur vendere res suas viliori pretio, quam valeant, quanquam venditor sit revenditor: cumque illę merces hominum æstimatione plus valeant, quam fuerunt venditę respectu illarum circunstantiarum, quas expressi, inde est, quod venditor non possit excusari à supremo iusto pretio offerendo, & præstando, sic Rebel. *lib. 9. quæst.* 14. *n.* 14. sicque intelligendus Covarr. *lib. 2. variar. cap.* 3. *num.* 6. qui probabilem eam reputat.

Pro

18 Pro ſecundo vero caſu, quando ſcilicet primus emptor offert pretium ſupremum iuſtum, Præfectus ad eamdem emptionem concurrens offerat idem ſupremum iuſtum factum pretium,& mercem obtinebit, *por el tanto*. Sed nullo modo aſcendat ſuprà ſupremum iuſtum, nec alium aſcendere permittat, cum ſit contra rationem,& leges. Si autem non eodem tempore Pręfectus concurrat, nec intra illos duos dies, ſed poſt, debet facere idem, quod immediatè eſt dictum; extrahat mercem more ſolito, & ponat eam in horreo Regis, & poſtea pretium ſupremum iuſtum offerat, & ſuprà illud nullo modo aſcendat, nec permittat aſcendere.

19 Advertas,velim, aliam Revenditorum cavillationem. Quando merces ſunt in abundantiâ, & vili venduntur, licet eas Pręfecto vendant, non feſtinant pro conventione cum Præfecto facienda, immò ſummè deſides, deſiderantes videri vrbani,& Præfectum non vexantes, non accedunt ad conveniendum de pretio. Sed attende, quando accedunt? Poſt aliquod, vel multum tempus, quãdo merces pluris conſtant fortè cupientes confundi tempora, & pretia mercium in diverſis temporibus, & (forte) accipere pretium altum præſens pro pretio vili, quò merces illa ęſtimabatur quando illam Præfectus extraxit. Huic dolo facile remedium appono. In ipſa hebdomada,qua mercem extraho de domo, & dominio alicuius, ſcribo in quodam libello mihi manuali pretium ſupremum iuſtum, quò illa merces æſtimabatur.Hàc diligentiâ adhibitâ, doloſa dila-

tio conventionis pretij nulli Dardanario, nec vlli alij prodest; quia ex hac notitia ducor ad faciendum pretium non præsens, quod viget tempore præsenti conventionis, sed præteritum, quod vigebat tempore extractionis mercium. Alioqui multis fraudibus esset aperta porta propter varietatem quotidianam pretiorum, quas ibi experimur, & patimur.

20 Quæres. Vtrùm hæc omnia observanda, & intelligenda sint cum Clericis Dardanarijs, & an posit Præfectus extrahere ab eis merces, quibus pro Annona Regis indiget? Respondeo primo. Nunquam credendum esse Clericos esse Reventitores; nam cum hoc delictum immane sit, & execrandum, & contra bonum commune, cui Clerici debent studere, ipsos dedecet. Ideo D.Hieron. in epist. ad Nepot. *Negotiatorem Clericum, ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge*, *cap. 9. dist.* 88. Negotiatio in se turpis est, vt dictum est, ideo Clericis non licet, *cap. Fornicari*, 10. *dist.* 88. ibi: *Antequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto, iam non licet*, & potiùs ad lucrum terrenum respicit, cuius contemptores debent esse Clerici, multaque vitia trahit in se; nunquam liberatur negotiator à peccatis labiorum saltim, vt dicitur Eccl. 26. *& cap. Eijciens, dict. dist.* 88. ibi: *Quemadmodum enim, qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, & se commendare, sine maliloquio esse non potest, sic qui emit, & vendit, sine mendacio, & periurio esse non potest*, *cap.* 12. *ead. dist.* ibi: *De mendacio, & de periurio agitur, non de negotio.* Et etiam quia nemo

mo Deo dicatus, qualis est, & debet esse Clericus, sæcularibus negotijs benè se implicat, iuxta illud Pauli 2. *ad Tim.* 2. cum nemo posśit Deo simul, & mammonæ servire, sic D. Thom. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 3.

21 Verum si his non obstantibus aliquis Clericorum inveniatur, qui non solum se immisceat negociationibus sæcularibus, sed adeò se immisceat, vt & Dardanarius sit, & revenditor. Sciat ipsum non eximi ab his prohibitionibus, & legibus, sic Azeved. *ad dict. leg.* 19. *num.* 1. Delben. *dict. sect.* 20. *num.* 3. Leges enim de hoc loquentes sunt generales, quæ omnes comprehendunt quantumvis à iurisdictione sæculari exemptos, nam quoad hoc exempti non sunt. Et ratio, præter adductas suprà in *cap. De taxa*, quæ etiam militant in proposito, hæc est, quia constitutio, quæ est iusta, sancta, honesta, publicæ vtilitati convenientisśima, ab omnibus debet observari, tàm laicis, quàm Clericis: ista est huiusmodi: ergo, &c. Confirmatur ex eo, quod ipsos Clericos non dedeceat, nec libertatem Ecclesiasticam diminuat, immò potiùs foveat, Salced. *in Addit. ad practic. crim. cap.* 55. ergo ei Clerici parere debent. Et Præfectus poterit merces tales Clericorum capere, si eis pro Annonà Regis opus habuerit.

22 Oppones *leg.* 10. *lib.* 9. *tit.* 17. *Nov. Recopil.* vbi non conceditur Præfecto absque venia speciali bona Ecclesiastica, & Clericorum capere, Veytia *lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 4. Respondeo cum Delben. *de immunit. cap.* 8. *dub.* 14. *sect.* 6. dando differentiam inter frumentum; vel mer-

merces alias ex proprijs prædijs collectas, & merces non ex proprijs prædijs collectas, sed emptas ab eis studio Dardanico, vt immutatæ vendantur cariùs. In primo casu, cum illud proprie non sit negotiari, Aym. 1. *volum. consult.* 163. traditus ab Avend. *de exeq. cap.* 19. *ad med.* gaudent Clerici plenà, & perfectà immunitate, & fructus in proprio fundo nati integrè eximuntur de manu sæculari, adeò vt Præfectus non posit pro Annona eos capere, ita intelligitur *dict. lex* 10. nec gabellam solvunt de eis, *leg.* 6. *lib.* 9. *tit.* 18. *Nov. Recop. Castell.* Debent enim distingui in hoc, & multis à cæteris laicis. In secundo autem casu, ductà à contrario ratione, cum emere ad revendendum sit propria negotiatio, immò & pessima, inde est, quod nullum privilegium in hoc eos adiuvet, nec vlla distinctionis ratio eos à laicis segreget, immò & quod ex eis gabellam debeant solvere, *leg.* 7. *lib.* 9. *tit.* 18. *Nov. Recop. Castell.* Delben. *dict. sect. & cap.* 5. *dub.* 3. *sect.* 5. & plures, quos ipse citat *dict. sect.* 5. *&* 6. ex eo quod negotiatio omnis sit ipsis interdicta, *cap. Canonum, cap. Clerici,* 14. *quæst.* 4. *cap. Consequens, cap. Negotiatorem, cap. Fornicari, cap. Eijciens, dist.* 88. *cap. Fieri, cap. Secundum, de vita, & honest. Clericor.* Immò & quod posint, & debeant puniri contra facientes.

23 Qua autem pœna sint afficiendi? Ordinarià, vel extraordinarià? Per proprium Judicem, vel per laicum? Nolo tractare, ad me non pertinet ista in Ecclesiasticos non pia quæstio. Si de pœnis laicis imponendis ferè erubuit levi manu tractare, eo quod Præfecturæ pro-

proprium non sit punire delinquentes in illam, quid de Ecclesiasticis? Is, cui incumbit, quærat P. Delben. *de immunit. cap.* 5. *dub.* 3. *sect.* 6. *num.* 4. vbi refert *Bullas SS. Pij IV. & Pij V.* & Azeved. *ad dict. leg.* 19. *num.* 1.

24 Hucusque calamo pertingebam, & mehercule, summo labore, nullà quiete, & inter rumores bellicos; Capitaneus siquidem quinquaginta Militum Peditum omnibus diebus in eis exercendis, perficiendis, & regendis defessus, tempus pro libris, & calamis non invenio, præcipuam temporis partem somno detrahens. Hucusque, inquam, perveniebam (ad vlteriora fortè progressurus, si per tempus licuisset) quando buccina bellica, æraque Martis auditum pariter, & calamum, & manum calamum tenentem concutiunt, ad bellum, quod iam iam in Lusitania crudeliter orditur, accersor, & cum meis Militibus ire iubeor Regem meum Philippum Quintum sequens, qui Rex strenuus, & fortissimus Miles metas Regni sui transiliens ad caput nostri exercitùs, & ad frontem contrarij iam est positus invictus, & invencibilis pro suo iure tuendo ad Regnum, quod ad illum omni iure pertinet. Faxit Deus, omnes belli eventus feliciter illi accidant, & inimicos suos gloriosus subigat, & ex ipsorum Regnis Monarchiam Hispanicam omnium maiorem, vlteriùs maiorem faciat. De quo non dubito, cum pro eo non tàm nos Milites, quàm sua iustitia, & Deus iustitiæ amator à me, & à fere omnibus credatur pugnaturus.

25 His ergo strepiti-

bus

bus quaſſatus iuxta illud Poetæ : *Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.* Huic libro meo *vale* dico. 1. liber mi. Ego quantotiùs eo. Fortè exies poſthumus. Poſteris meis exies. Lector benigne mihi parce. Emmendatiorem fortè hunc libellum relinquerem, ſi me tempus non anguſtiaſſet. Vale amice lector, & parce. Tempus de eſt.

Ad vlteriora verba
non ſupereſt.



INDEX
RERUM NOTABILIUM.

PRIMUS NUMERUS PAGINAM designat: Reliqui Paragraphos.

Re-

Sol-

Ad

Quo-

Fa-

Anno-

At

De-

Rex

Siſſa

furti

So-

Ad

Ali-

Vo-

FINIS.





FINIS.


22
56